petitionem Clerici ipſi facere poſſunt, ut ſtatuitur cap. *Prælati*, tit. *de homicidio in* VI. ubi hæc habentur. *Prælatis, vel Clericis quibuſcumque, qui de laicis ſuis malefactoribus querelam penes ſæcularem iudicem deponentes, petunt emendam ſibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur, proteſtando expreſſe, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non debet, quamvis alias in tali caſu de iure debeat ſanguinis irrogari .... Alioquin ſi Prælati, aut Clerici, propter metum huiuſmodi, quia iudex ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona deprædandi.* Similia ſtatuit Innocentius III. cap. *Poſtulaſti* extra *de homicidio voluntario*. Clericus igitur teſtari debet, ſe vindictam non intendere, ſed damnis ſuis obicem apponere. Clerici accuſantes de iniuriis illatis perſonis fiunt irregulares, ſi mors, aut mutilatio ſequatur; ſecus, ſi agatur de damnis ſibi, aut propinquis ſuis, vel domeſticis, vel Eccleſiæ illatis; dummodo mors, aut mutilatio, quæ prævidetur futura, ſit iuſta: hæc enim clauſula ſemper intelligitur.

XVII. Qui pugnant in bello iuſto ex auctoritate publica contra hoſtes, ſi propriis manibus occidant, vel mutilent, irregulares fiunt. Ceteri vero milites in tali bello iuſto adſtantes pugnæ, qui propriis manibus neminem occidunt, aut mutilant, non fiunt irregulares; ut communiter fatentur omnes. Si vero bellum ſit iniuſtum, & aliquis in eo occidatur, aut mutiletur, omnes fiunt irregulares, etiam illi qui propria manu nec occaverint, nec mutilaverint: quia omnes concurrunt ad necem, vel mutilationem iniuſtam.

XVIII. Duces, milites, Clerici, aliique in bello iuſto conſulentes, exhortantes, animantes milites, ut ſtrenue ſe gerant in pugna, & in conflictu, non fiunt irregulares. Quare non ſunt audiendi, inquit Habert, illi quos *expeditionarios* vocant, dum ſuadere conantur, nullo fundamento nixi niſi propriæ cupiditatis, indigere diſpenſatione ſummi Pontificis quiſquis tulerit arma in bello iuſto.

XIX. Militem ſe defendentem in bello defenſivo, vel etiam offenſivo iuſto, non fieri irregularem, docent plures, etiamſi occidat, dummodo ſervet moderamen inculpatæ tutelæ: quia hæc defenſio eſt illi iuſta, ſicut & bellum. Porro qui ſe defendunt cum moderamine iuſtæ defenſionis, excuſantur ab irregularitate.

XX. Medici, & chirurgi, qui iuxta propriæ artis regulas membrum corporis humani truncant, non fiunt irregulares, ut dictum alias eſt; forent vero irregulares ex delicto, ſi contra artis regulas id agerent, aut ſi ob illorum negligentiam ægrotus interiret. In dubio, num adhibuerint neceſſariam diligentiam, ſe gerere debent ut irregulares. Neque fiunt irregulares qui adiuvant chirurgos, & medicos, ſecantes iuxta regulas artis partem corporis; cum exerceant actum non vindictæ, ſed pietatis. Clerici, & Monachi exercentes artem medicam, & chirurgicam fiunt irregulares ex defectu lenitatis, ut ſupra dixi, ſi truncent aliquod membrorum: quia prohibitæ illis ſunt eiuſmodi artes cum inciſione, & adustione. Poſſunt tamen aperire venam ad minuendum ſanguinem, quin fiant irregulares.

XXI. Eccleſia merito a ſacris Ordinibus ſemovet homines ob defectum lenitatis: quia manſuetudo, & lenitas eſt prærogativa, & character Sacerdotii Chriſti, qui tamquam agnus manſuetus venit in mundum a Patre miſſus. Quapropter improbavit *Luc.* IX. zelum nimis ardentem Ioannis, & Iacobi, qui Samaritanorum vindictam expetebant, loquens: *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis*.

XXII. Communis ſententia contra Dianam, Sa, & alios docet, Epiſcopos non poſſe diſpenſare in irregularitate proficiſcente ex defectu lenitatis, etiamſi occulta ſit: quia Tridentinum ſolum facultatem Epiſcopis concedit diſpenſandi in irregularitate occulta, proveniente ex delicto, excepto homicidio voluntario; ſecus in irregularitate ex defectu lenitatis. Plures contendunt, hanc facultatem diſpenſandi in irregularitate ex defectu lenitatis habere Prælatos regulares ex privilegiis ſupra indicatis. At hæc privilegia mihi nota non ſunt. Et hæc dicta ſufficiant de cenſuris. Qui plura cupiunt, conſulant Bonacinam, Sayrum, Suarez, & Canoniſtas, qui integra ipſa volumina de hoc argumento conflarunt.





# LIBER QUARTUS

DE PECCATO IN COMMUNI, ET SIGILLATIM: ITEM DE SEPTEM VITIIS CAPITALIBUS, ET DE VIRTUTIBUS.

# DISSERTATIO PRIMA.

DE PECCATIS GENERATIM.

## PRÆLOQUIUM.

ADeo difficilis eſt peccatorum tractatio, ut vel ipſe Regius Propheta *Pſal.* XVIII. exclamaverit: *Delicta quis intelligit?* Et tamen ſicuti medicis morborum notitia magnopere neceſſaria eſt, ut congrua applicare remedia queant, ita animarum moderatores peccatorum accuratam cognitionem comparare ſibi debent, qua valeant ſacramentorum adminiſtratione conſcientiarum vulnera curare. Plura quæ tractatum de vitiis & peccatis ſpectant, ſparſim in hocce opere explicata ſunt. Controverſias de conſcientia proxima morum regula, de advertentia neceſſaria ad peccandum, de ignorantia a peccato excuſante, de peccato philoſophico, aliiſque iſtiuſmodi, *Tom. II. Appar.* fuſo calamo enucleatas invenies. Celebres diſputationes de humanorum actuum moralitate, de voluntario directo, & indirecto, de libertate, de metu &c. *Tom. VI.* & alibi, occaſione data, diſpexi. Argumentum de vitiis & peccatis propriam ſedem habere debuiſſet poſt tractatum de conſcientia recta, erronea, dubia, & probabili. At cum alii tractatus tunc in manibus eſſent, omiſſum fuit. Porro, ne hæc noſtra Chriſtiana Theologia aliquo tractatu ad morum informationem neceſſario careret, huic ultimo Tomo inſerere per modum appendicis hunc de præfato argumento librum deliberavi. Ne vero actum agam, quæ alibi explanavi, non reducam in ſcenam, ſed loca tantum indicabo, ubi legere illa poteris. Vitiorum expoſitioni diſſertatio de virtutibus ſuccedet, & de beatitudinibus, quia huc tandem omnia ſtudia, & conatus noſtri tendere debent.

### CAPUT I.

*Vitii, & peccati notiones communes, & peculiares.*

I. VItii nomen a vitando arceſſunt. Duplicem excipit ſignificationem: alteram late acceptam, in quolibet defectu a regula naturali ſitam: alteram preſſe ſpectatam pro morali receſſu a rectæ rationis norma. Illa naturæ, aut artis, hæc morum vitia appellantur. Cum natura, vel artifex deficit a recta norma, improprie peccare dicitur contra peculiares naturæ, vel artis leges. Quando vero homo deficit a rationis amuſſi, & legi æternæ adverſatur, tunc vitium, & peccatum ſtricte acceptum committere perhibetur.

II. Vitium igitur ſeu peccatum in communi ſtricte acceptum deſcribi poteſt, quod ſit *perturbatio voluntaria naturæ rationalis in iis quæ mores reſpiciunt*. Vitium, & peccatum promiſcue accipi ſolent. Differunt tamen ſicut actus, & habitus. Nam peccatum proprie eſt actus malus moraliter; vitium vero prava diſpoſitio ſuapte natura tendens & inclinans in officia moraliter mala. Vitium enim virtuti opponitur. Quoniam ſicut virtus diſponit animum ſecundum naturæ ſuæ convenientiam; ita vitium pervertit animum contra ſuæ naturæ regulas. Hinc S. Auguſtinus *Lib. III. de lib. arb. cap.* XIV. ſcribit: *Omne vitium eo ipſo quod vitium eſt, contra naturam eſt. Si enim naturæ non nocet, nec vitium eſt .... Nullius ergo rei recte vituperatur vitium, niſi cuius natura laudatur.* Flagitia enormia, ut ſodomia, beſtialitas &c. dicuntur contra naturam: quia non modo rationali, ſed & ipſi animalium generi adverſantur; ut S. Auguſtinus inquit: *Vitium eſt hominis, quod eſt naturæ pecoris.* Peccatum peius vitio eſt: quia qui male agit, peior eſt illo qui ſolum eſt ad male agendum diſpoſitus. Hæc omnia fuſius 1. 2. *quæſt.* LXXI. docet S. Thomas.

III. Quæſt. I. *Quænam ſit peccati finitio?* Reſp. Hanc *Lib. XXII. contra Fauſtum cap.* XXVII.

xxvii. tradit S. Auguſtinus. *Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Quam definitionem 1. 2. *quæſt.* lxxi. *art.* 6. adoptat S. Thomas, inquiens: *Auguſtinus in definitione peccati poſuit duo, Unum quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato, cum dixit:* Dictum, vel factum, vel concupitum. *Aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cum dixit:* Contra legem æternam. Hæc Auguſtini finitionis verba *dictum, factum, vel concupitum* omnia concludunt peccata cordis, oris, & operis. Altera particula, *contra legem æternam,* ſignificat, omnia peccata, etiam quæ directe ſunt contra humanas leges, æternam Dei legem violare. Quoniam, inquit *Rom.* xiii. S. Paulus: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi a Deo... Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Et Chriſtus Dominus *Luc.* x. ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hinc patet, quam lata, & merito damnata ſit hæc quorumdam recentium Caſuiſtarum doctrina: *Lex humana non obligat in conſcientia.*

IV. Contra datam S. Auguſtini finitionem opponi ſolet, nec peccatum omiſſionis, nec peccatum habituale, nec peccatum originale in illa comprehendi. Cui oppoſitioni reſpondet *loc. cit. ad* 1. S. Thomas. *Affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus...... Et ideo pro eodem eſt accipiendum dictum, & non dictum, factum, & non factum.* Peccatum habituale actibus voluntatis gignitur; & ideo ſub illis comprehenditur. Peccatum originale dici factum voluntarium in primi parentis voluntate poteſt. Sed de hoc infra.

V. Peccatum veniale non eſt proprie contra, ſed præter legem Dei; ut optime *q.* vii. *de malo art.* 1. *ad* 1. docet S. Thomas. *Convenienter dicitur, quod peccatum veniale non eſt contra legem, ſed præter legem: quia ſi in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipſam corrumpit: quia non corrumpit dilectionem, quæ eſt plenitudo legis.*

VI. Quæſt. II. *Quid, & quotuplex ſit peccati macula?* Reſp. Maculam in anima relinqui ex peccati commiſſione, Scriptura ſancta *Iſa.* iv. teſtatur: *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion.* Et S. Paulus ad *Tit.* i. inquit: *Inquinata ſunt eorum mens, & conſcientia.* S. Jacobus *cap.* i. ſubdit: *Abjicientes omnem immunditiam.* Ad peccandum concurrunt, inquit 1. 2. *q.* lxxxvi. *art.* 1. S. Thomas, actus intellectus, & voluntatis. Per voluntatis autem effectum, quo peccator afficitur erga terrenas voluptates, anima polluta, concupiſcientiæ luto inquinata, & illecebrarum ſordibus conſpurcata remanet. Diſputant autem Theologi, in quo ima hæc macula ſit. Alii illam collocant in reatu ad pœnam; ſed reatus ille maculam conſequitur. Alii in habitu relicto ex præterito actu; verum macula unico actu producitur. Vera ſententia maculam hanc collocat in privatione gratiæ cum ordine ad actum præteritum malum. Duplicem diſtingunt maculam aiunt, quia duplicem animæ nitorem conſiderant. Primus nitor conſurgit ex rationis lumine dirigente; ſecundus ex lumine ſupernaturali fidei, & gratiæ. Prima macula lumen rationis obſcurat; ſecunda, expulſo nitore, qui ex divina gratia refulgebat, divinæ inimicitiæ, ſeu averſionis a Deo, & converſionis ad creaturam imprimit horrendam notam, & deforme ſignaculum in anima peccatrice. Tertiam addunt maculam, quam peccatum veniale inducit, quæ caritatis fervorem imminuit, & decorem, atque pulchritudinem ex actibus caritatis refulgentem obnubilat.

## CAPUT II.

### *De peccati diviſione.*

I. PRima peccati diviſio eſt in originale, & actuale. Illud ex Adamo contrahitur; illud propria peccantis voluntate committitur. Peccatum perſonale rurſus duplex eſt. Aliud actuale, & eſt ipſe actus inordinatus, & difformis a moralitatis regulis; aliud habituale, & eſt macula remanens ex actu malo non retractato.

II. Secundo aliud eſt peccatum commiſſionis, quod in tranſgreſſione præcepti negativi conſiſtit; aliud eſt peccatum omiſſionis contra præceptum affirmativum, quo omittitur actus bonus præceptus. Peccatum commiſſionis abſolute gravius eſt omiſſionis culpa; quia longius in illo ab ordine rationis receditur, ut per ſe patet: nam odium Dei pejus eſt omiſſione amoris Dei; & blaſphemare Deum ſcelestius eſt quam non laudare Deum.

III. Tertio alia ſunt peccata ſimpliciter talia; alia ſunt peccata in Spiritum ſanctum. Hæc ſunt ſex, nempe deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis cognitæ, & invidentia fraternæ gratiæ. De his peccatis dicitur Matth. xii. *Non remittentur neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Peccatum in Spiritum ſanctum eſt peccatum ex malitia procedens, quo rejiciuntur ſpiritua-

tua-



tualia dona gratiæ. Dona hæc propria attribuuntur Spiritui ſancto, qui amor Patris eſt, & Filii vi proceſſionis ſuæ. Dicitur vero hoc peccatum irremiſſibile, ſi malitia illius ſpectetur; ut S. Thomas 2. 2. *quæſt.* xiv. *art.* 3. explicat, inquiens: *Sicut aliquis dicitur morbus incurabilis ſecundum naturam morbi, per quem tollitur id per quod morbus poteſt curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit faſtidium cibi, & medicinæ; licet talem morbum Deus poſſit curare; ita etiam peccatum in Spiritum ſanctum dicitur irremiſſibile, ſecundum ſuam naturam, in quantum excludit ea per quæ fit remiſſio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi, & ſanandi omnipotentiæ, & miſericordiæ Dei, per quam aliquando tales, quaſi miraculoſe, ſpiritualiter ſanantur.*

IV. Quarto alia vocantur peccata carnalia, alia ſpiritualia. Animadvertit ex S. Gregorio Angelicus 1. 2. *q.* lxxi. *art.* 2. in argumento prolulorio, quod *ſeptem capitalium vitiorum quinque ſunt ſpiritualia, & duo carnalia.* Illa conſummantur in delectatione ſpirituali, ut ſuperbia, invidia, avaritia &c. hæc ſiſtunt in delectatione carnali ut luxuria, & gula. Hæc autem capitalia crimina ſunt ſeptem, nempe ſuperbia ſeu inanis gloria, invidia, avaritia, ira, luxuria, gula, acedia.

V. Quinto alia ſunt peccata propria, quæ ipſe peccans committit; alia vero aliena: aliena autem vocantur ea quæ alii patrant, ſed noſtro conſilio, juſſu, patrocinio, adulatione, diſſimulatione, ſilentio vitioſo, omiſſione correctionis, aliiſque modis.

VI. Sexto alia ſunt peccata cordis, oris, & operis. Hanc diviſionem fuſe 1. 2. *quæſt.* lxxii. *art.* 7. exponit S. Thomas, inquiens: *Iracundus enim ex hoc quod appetit vindictam, primo quidem perturbatur in corde, ſecundo in verba contumelioſa prorumpit, tertio vero procedit uſque ad facta injurioſa, & idem patet in luxuria, & in quolibet alio peccato.* Præterea alia ſunt peccata ignorantiæ, alia infirmitatis, alia malitiæ.

VII. Septimo dividitur peccatum in ea quæ ſunt contra Deum, contra proximum, & contra ſeipſum. Utique omnia peccata injuriam Deo inferunt: tamen aliqua ſunt quæ modo peculiari Deo adverſantur, quatenus recta impetunt virtutes illas quæ pro objecto Deum habent, ut fides, ſpes, caritas, religio. Peccata contra proximum illa dicuntur quæ violant virtutes proximum reſpicientes, juſtitiam, miſericordiam &c. Peccata contra ſeipſum illa vocantur quæ violant virtutes inſtitutas ad proprias paſſiones moderandas. Fuſe & perſpicue 1. 2. *quæſt.* lxxii. *art.* 4. S. Thomas has tres peccatorum ſpecies diſtinguit, concluditque: *Unde hæc diſtinctio peccatorum eſt ſecundum diverſas peccatorum ſpecies: nam & virtutes, quibus peccata opponuntur, ſecundum hanc differentiam ſpecie diſtinguuntur. Manifeſtum eſt enim ex dictis quod virtutibus theologicis homo ordinatur ad Deum, temperantia vero, & fortitudine ad ſeipſum, juſtitia autem ad proximum.* Tandem dividitur in peccatum mortale, & veniale: quam diviſionem mox explicabo.

## CAPUT III.

### *De diſtinctione peccati mortalis a veniali.*

I. DIfficillimam & ſcitu perquam neceſſariam quæſtionem aggredior diſpiciendam. Pauca prius delibabo quæ certa ſunt apud Catholicos. Lutherani, & Calviniſtæ propugnant, omnia peccata eſſe mortalia natura ſua, cum hoc ſolo diſcrimine, quod in electis & prædeſtinatis flagitia etiam graviſſima ſint venialia, quia illis non imputantur ob fiduciam quam in Dei miſericordia habent: contra contendunt in reprobis minima venialia eſſe peccata mortalia. Michael Baius inter plures theſes, a S. Sede apoſtolica damnatas, hanc docuit: *Nullum eſt peccatum natura ſua veniale, omne peccatum meretur pœnam æternam.*

II. De fide eſt, dari peccata natura ſua venialia a mortalibus diſtincta; ut definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xiv. *cap.* xxiv. Oſtendit hanc veritatem 1. 2. *q.* lxxii. S. Thomas. Præterea *Matth.* vii. peccata alia feſtucæ aſſimilantur, quæ ſunt venialia, alia trabi, quæ mortalia dicuntur, ſive in prædeſtinatis ſint, ſive in reprobis. Adamo *Gen.* ii. dictum eſt. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Peccatum Adæ mortiferum fuit: & tamen Adam prædeſtinatis adſcriptus eſt, ſicut & David, & Petrus, qui gravia patrarunt delicta. De juſtis dicitur Prov. xxiv. *Septies cadit juſtus.* Apoſtolica quoque traditione hæc veritas conſtat, ut teſtimonia SS. Cypriani *ſerm. de eleemoſ.* Ambroſii *Lib. II. de pœnit. cap.* x. Auguſtini *ſerm.* 50. *ex Lib.* 50. *hom.* Gregorii *Lib. XXI. Mor. cap.* ix. Bernardi *ſerm.* 1. *in conv. Dom.* Thomæ *loc. cit.* evincunt. Hinc Tridentinum *ſeſſ.* vi. *cap.* xi. inquit: *Licet in hac mortali vita quantumvis ſancti & juſti in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti.*

III.

III. Opponunt illud Matth. v. *Si quis ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum*, ideſt nullus, ut interpretatur S. Thomas. Reſpondetur, textum adductum truncum eſſe. Nam ibi additur: *& docuerit ſic homines*. Adulterare autem verbum Dei peccatum grande eſt. Præterea mandata illa minima vocantur comparate ad alia graviora. Plura alia ex Patribus obtrudunt, quæ utpote nullius momenti, prætereo.

IV. Convenit quoque penes omnes Theologos catholicos, multipliciter mortale, & veniale inter ſe differre. Nam peccatum mortale eſſentialiter eſt averſio a Deo, & converſio ad creaturam tamquam ad ultimum finem. Hoc eſſentiale eſt cuique peccato mortali. Hinc profluunt cetera, quod peccatum mortale expellat gratiam ſanctificantem, quod deſtruat amicitiam Dei, quod detrudat in orcum. Contra, peccatum veniale non avertit hominem ab ultimo fine, nempe Deo: quia non eſt ſimpliciter contra legem, ſed ſecundum quid, ſeu eſt præter legem, non corrumpit gratiam ſanctificantem, nec caritatem, ſed eiuſdem fervorem minuit.

V. Sex potiſſimum ſunt quæ adſcribuntur peccato mortali. 1. ſolvit amicitiam cum Deo, corrumpit gratiam, & caritatem, omneſque virtutes morales infuſas. 2. parit animæ mortem. 3. infert peccatori malum aliquo modo infinitum. 4. malum eſt natura ſua irreparabile. 5. eſt offenſa Dei infinita. 6. peccatorem æternum damnat. Et hæc omnia manant ex averſione a Deo.

VI. Dividunt quoque Theologi peccatum mortale, & veniale in illud quod eſt tale *ex genere*, & in illud quod eſt tale *per accidens*. Peccatum mortale ex genere illud eſt quod ex ſe opponitur caritati Dei, & proximi; ut ſunt ea quæ opponuntur fidei, ſpei, caritati, & iuſtitiæ. Peccatum veniale *ex genere* illud vocant quod ex ſe non opponitur caritati Dei, & proximi: ut mendacium ſimplex, verbum iocoſum, riſus immoderatus &c. Peccatum mortale, vel veniale *per accidens* vocant illud quod vel ex mortali fit veniale, aut ex veniali mortale.

VII. Quæſt. I. *Quomodo peccatum mortale poſſit tranſire in veniale?* Reſpond. Duobus modis. Primo ex imperfecta deliberatione, & conſenſu, inquit 1. 2. *q.* lxxxviii. *artic.* 6. S. Thomas. *Poteſt tamen id quod ex genere eſt mortale, eſſe veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis, cum non ſit deliberatus, ſed ſubitus.* Ad peccatum enim requiritur libertas. Ergo quoties non adeſt deliberata voluntas, non poteſt eſſe peccatum mortale. Secundo peccatum mortale fit veniale ex parvitate materiæ; ut ſi quis levem rem furetur. Peccata venialia prioris generis periculoſa ſunt, quia plena deliberatio, conſenſus, & advertentia nobis ſæpe occulta ſunt.

VIII. Plura ſunt peccata quæ parvitatem materiæ non admittunt. Eiuſmodi ſunt infidelitas, odium Dei, ſimonia, periurium, & alia quæ directe Deo adverſantur.

IX. Unde cognoſcemus materiam gravem eſſe, aut levem? Rem difficillimam poſtulaſti. Præcipuæ regulæ quæ a Theologis aſſignantur, ſunt iſtæ. 1. Materia tunc gravis reputatur, quando actus præceptus valde conducit ad caritatem aut Dei, aut proximi: ſi contra parum conferat, levis reputabitur. 2. Si res præcepta, tametſi in ſe levis ſit, nihilominus multum conferat in legislatoris finem, gravis exiſtimanda eſt. 3. Videndum, ſi materia præcepta ſuſcipiat magis & minus: ſi enim non admittit materiæ parvitatem, tunc reputanda materia gravis eſt: ſi vero parvitatem materiæ admittat, tunc ſpectanda eſt perſona peccans, finis legis, ſeu ordo ad legem ipſam, & conditio perſonæ peccantis. Interdum enim quod eſt veniale in ſubdito, eſt mortale in Superiore.

X. Quæſt. II. *Quomodo veniale poſſit fieri mortale?* Reſpond. Hanc quæſtionem S. Thomas 1. 2. *q.* lxxxviii. *artic.* 4. diſtincte enucleat his verbis. *Dicendum, quod peccatum veniale fieri mortale, poteſt tripliciter intelligi. Uno modo ſic, quod idem actus numero primo ſit peccatum veniale, & poſtea mortale. Et hoc eſſe non poteſt: quia peccatum principaliter conſiſtit in actu voluntatis, ſicut & quilibet actus moralis. Unde non dicitur unus actus moraliter, ſi voluntas mutetur, quamvis etiam actio ſecundum naturam ſit continua: ſi autem voluntas non mutetur, non poteſt eſſe quod de veniali fiat mortale.*

*Alio modo poteſt intelligi, ut id quod eſt veniale ex genere, fiat mortale: & hoc quidem poſſibile eſt, in quantum conſtituitur in eo finis, vel in quantum refertur ad mortale peccatum ſicut ad finem, ut dictum eſt.*

*Tertio modo poteſt intelligi ita, quod multa venialia peccata conſtituunt unum peccatum mortale. Quod ſi ſic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter conſtituatur unum peccatum mortale, falſum eſt. Non enim omnia peccata venialia de mundo poſſunt habere tantum de reatu, quantum unum peccatum mortale. Quod patet ex parte durationis: quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ, peccatum autem veniale reatum pœnæ temporalis, ut dictum eſt . . . Patet etiam ex parte pœnæ damni, quia peccatum mortale meretur carentiam viſionis divinæ, cui nulla alia pœna comparari poteſt, ut Chryſ. dicit . . . . Patet etiam ex parte pœnæ ſenſus, quantum ad vermem conſcientiæ; licet forte quantum ad pœnam ignis non ſint improportionabiles pœnæ.*

*Si vero intelligatur, quod multa peccata venialia faciunt unum mortale diſpoſitive, ſic verum eſt, ſicut ſupra oſtenſum eſt . . . . . ſecundum duos modos diſpoſitionis, quibus peccatum veniale diſponit ad mortale.*

XI. Idem itaque actus numero moraliter acceptus nequit eſſe ſucceſſive mortale, & veniale: quia peccatum mortale, & veniale ſpecie eſſentiali diſtinguuntur: ergo idem numero actus moralis nequit tranſire ex veniali in mortale. Idem vero actus phyſicus ſucceſſive poteſt ex veniali immigrare in mortale. Siquidem incipere cum ſemiplena deliberatione valet, & per continuationem poteſt evadere plene deliberatus. Fieri quoque ex veniali mortale poteſt, ſi in eo conſtituatur ultimus finis quod dupliciter evenire poteſt. 1. formaliter, & directe; puta cum quis ex errore putat tale obiectum eſſe ultimum finem. 2. interpretative, & virtualiter, quando ita diligit illud obiectum, & eſt ita affectus ac diſpoſitus, ut illud diligeret, & eligeret, etiamſi peccatum mortale commmittendum eſſet.

XII. Quæſt. III. *Plura peccata venialia conflare ut unum peccatum mortale poſſunt?* Reſpond. Negat S. Thomas *loc. cit.* cui ſubſcribunt omnes Theologi. *Quod ſi ſic intelligatur, quod ex multis peccatis venialibus integraliter conſtituatur unum peccatum mortale, falſum eſt.* S. Auguſtinus *tract.* xii. in Ioannem hæc ſcribit. *Plura minuta peccata, ſi negligantur, occidunt, quemadmodum minuta grana arenæ, ſi multa ſunt, premunt, atque opprimunt; & aqua paullatim per ſentinam intrando, ſi non exhauriatur, mergit navim.* Quæ verba intelligenda ſunt *diſpoſitive*, inquit *loc. cit.* S. Thomas. Altius tamen animo infigenda ſunt, ut ab his repetitis & quotidianis maculis caveamus. Pluries labuntur iuſti ex ſubreptione, infirmitate, & inadvertentia. Niſi a deliberatis his culpis abſtineamus diligenter, periculum eſt ne repetitæ guttæ ad ſubmerſionem navim diſponant. Scotus cum aliis docet, peccatum mortale eſſe contra præcepta, veniale contra conſilia. Sed hæc diſtinctio merito ab omnibus reiicitur: idcirco obiter eiuſdem memini.

XIII. Hactenus facilia, quæ Theologi diſputare hoc de argumento ſolent, perſtrinxi. Verum quæ mihi ſummum faceſſunt negotium, ſunt illa peccata quæ fixa, & circumſcripta confinia non habent, & quiſque, ingenio venialia reputat. Aliqui Probabiliſtæ veluti regulam conſtituunt, illa eſſe mortalia quæ tu mortalia exiſtimaſti, ea venialia quæ tu pro venialibus habes: quæ regula commentitia & arbitraria eſt. Alii conſuetudinis larva plura inhoneſta fucant, quia omnes ſic faciunt, & quis non facit? S. Auguſtinus, licet ſummo præditus ingenio, *Lib. Enchir. cap.* lxxvii. *& ſeq.* teſtatur, difficillimum non raro eſſe ſecernere a venialibus mortalia, ſic inquiens: *Quæ ſint autem levia, & quæ gravia peccata, non humano, ſed divino ſunt penſanda iudicio . . . Putari poſſet non eſſe peccatum miſceri coniugi, non filiorum procreandorum cauſſa, quod bonum eſt nuptiale, ſed carnalis etiam voluptatis, ut adulterii, ſive cuiuſquam alterius immunditiæ mortiferum malum devitet infirmitas. Quis autem eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus apoſtolica auctoritas fateatur? . . . Sunt autem quædam quæ leviſſima putarentur, niſi in Scripturis demonſtrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri ſuo, Fatue, reum gehennæ putaret, niſi veritas diceret? Aut quis æſtimaret, quam magnum peccatum ſit dies obſervare, ſicut obſervant qui certis diebus, ſive menſibus, ſive annis volunt, vel nolunt aliquid inchoare, eo quod ſecundum vanas doctrinas hominum fauſta, vel infauſta exiſtimant tempora, niſi huius mali magnitudinem ex timore Apoſtoli penſaremus? qui talibus ait:* Timeo ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis. *Hinc accidit quod peccata cum in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe credantur. Væ peccatis hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus.*

XIV. Quis in præſens conſcientiæ ſibi vertit theatrorum, comœdiarum, chorearumque frequentiam? Ambitio, luxus, pompæ plusquam paganicæ iam in conſuetudinem abiere. Qua, quæſo, ratione cum evangelico pudore & modeſtia componi nuditas mulierum chriſtianarum poteſt? Obiter pauca indicabo quæ P. Michael Elizalde *Part. III. Lib. VIII. q.* xiii. §. 6. ſcribit. „ Hinc certe videas, quam „ ſit abſurdus, &c. a chriſtiana profeſſione, „ & ſanctitate alienus habitus feminarum „ noſtrarum, & ſcotaturæ quas appellant; „ quam diſſonantiam, abſurditatemque dupli-

„ citer intelligere poſſunt. Primo collatione ad feminas cultiorum ſaltem gentium, Romanas, vel Athenienſes, quæ vix plus auſæ videntur, explicaturque facile Seneca: ac pudor ipſe naturalis non prorſus barbararum feminarum arcet ne plus ſe denudent. ... Excuſant ſe aliæ per alias, ſed committitur circulus vitioſus, & obiter intelligitur etiam diſſonantia ex verbis. Nam aliter tenentur loqui feminæ chriſtianæ: & idcirco plurimæ nefas exiſtimarent, ſi ea nominarent quæ Apoſtolus Paulus ante memorabat, ideoque non nominant. At eadem lege iuſſæ ſunt ad honeſtatem operum, & corporum, ſicut verborum; & peccarent in motibus, & geſticulationibus parum pudicis, ſicut in verbis, & in nuditate. Ac denique conſideratis his quæ Apoſtoli Petrus & Paulus, & ſancti Patres, Theologique circa hoc afferunt, ſtatuendum eſt, profanitatem demum aliquam eſſe in hoc genere, nuditatem item aliquam, quin ad extremam impudentiam accedat, quæ procuꝉdubio peccatum mortale ſit. Denudent ſe ergo eouſque feminæ. Profecto non video, unde concludere poſſemus, illud plus eſſe mortale, ſi quod nunc in more habent, mortale non ſit: & qualiter modo argumenta ſolvantur, tunc eodem prorſus modo ſolverentur. Stupemus vero, quomodo tantopere quotidie communicare, & ſanctam & immaculatam hoſtiam, Deum vivum & verum accipere ſuadeantur, quin in his & aliis tangantur quidquam. "

XV. Acriter alibi adverſus tam pravas corruptelas invecti ſumus: idcirco, ne plus iuſto a via digrediamur, concludendum eſt, conſulendas Scripturas ſanctas, præſertim novum teſtamentum, ut inde colligamus quæ chriſtianam profeſſionem dedecent. Legendi Patres, audiendus intimus conſcientiæ iudex, ut ea caveamus quæ vel mortiferas, aut periculoſas inſidias animabus noſtris ſtruunt.

## CAPUT IV.

### *De peccato originali.*

I. DE peccato originali, eiuſque effectibus plura ſcripſi *Tom. I. Appar. diſſ.* 1. Verum quia adeo ampla materia eſt, ut exhauriri vix poſſit, lubet nonnulla breviter delibare. Animadvertit S. Auguſtinus, notitiam peccati originalis, & fidem humanæ redemptionis per Chriſtum, eſſe duos præcipuos chriſtianæ religionis cardines. *Vide* (inquit epiſ. lxxxix.) *quemadmodum unum, & unum, ideſt Adam, & Chriſtus venerit in carne, ut ſciamus etiam antiquos iuſtis, quicumque eſſe potuerunt, nonniſi per eamdem fidem fuiſſe liberatos, per quam liberamur & nos, ſcilicet incarnationis Chriſti, quæ illis prænuntiabatur.* Indicavi *loc. cit.* Pelagianos negaſſe peccatum originale; quorum hæreſim pluries damnavit Eccleſia: & poſtremo Tridentinum contra Anabaptiſtas, & Zuinglianos *ſeſſ. v. can.* 11. eamdem hæreſim profligavit his verbis. *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe .... aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ; anathema ſit.* Scripturarum itaque, & Patrum teſtimonia, quæ peccati originalis exiſtentiam evincunt, prætereo; cum veritas iam ſit extra controverſiam conſtituta; & aliqua *loc. cit.* adduxerim.

II. Quæſt. I. *In quo ſit eſt natura & eſſentia peccati originalis?* Reſp. S. Auguſtinus ſapienter more ſuo *Libr. de mor. Eccl. cap.* xxii. ſcribit: *Hoc peccato antiquo nihil eſt ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius.* Hinc eſt quod variæ ſint & hæreticorum, & Catholicorum de hac re ſententiæ. Mathias Illiricus Lutheranus docuit peccatum originale eſſe quandam ſubſtantiam malam a dæmone productam. Lutherani, & Calviniſtæ defendunt, peccatum originale eſſe formaliter ipſam concupiſcentiam, & quamdam pravitatem in omnes animæ partes diffuſam. Hinc concludunt, peccatum originale per baptiſmum non deleri, ſed tegi tantum.

III. Ut Lutheranorum, & Calviniſtarum error clarius pateat, duplex diſtinguenda eſt concupiſcentia, actualis, & habitualis. Actualis ſunt actus indeliberati, & perturbati contra rationem; habitualis eſt naturalis propenſio ad bonum privatum. Hanc habitualem propenſionem ſub triplici aſpectu Theologi conſiderant. 1. quatenus convenit naturæ rationali. 2. ut eſt perturbatio virium animæ. 3. prout eſt inordinatio membrorum corporis, vel animæ, qua propenſa vitioſe eſt ad voluptates carnis ex tactu captas. Paucis hæc 1. 2. *quæſt.* lxxxii. *art.* 3. *ad* 1. docet S. Thomas. *Quia in homine concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, intantum concupiſcere eſt homini naturale, inquantum eſt ſecundum rationis ordinem. Concupiſcentia autem quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra rationem: & talis eſt concupiſcentia originalis peccati.*



IV. Ex catholicis Henricus Gandavenſis, & Gregorius Ariminenſis peccatum originale conſtituunt in morbida qualitate, quæ ex carne per peccatum infecta derivatur in animam. Albertus Pighius, & Catharinus peccatum originale reponunt in denominatione extrinſeca, ab Adæ prævaricatione, ſeu actuali peccato manante. Alii docent, peccatum originale materialiter eſſe privationem iuſtitiæ originalis inadæquate acceptæ; formaliter vero eſſe ipſum peccatum Adæ, quod omnes in eo commiſimus. Alii defendunt, formaliter eſſe ipſam privationem iuſtitiæ originalis. En quam verum ſit quod dixit S. Auguſtinus, nihil eſſe peccato originali ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum occultius. Paucis amplam controverſiam perſtringam.

V. Miſſo errore Illirici, quem vel ipſi Novatores communiter explodunt, nempe peccatum originale eſſe ſubſtantiam malam a diabolo productam (omnis enim ſubſtantia bona eſt, & a Deo creata: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil:* Ioan. 1.) miſſo, inquam, hoc nimium craſſo errore, de fide eſt, peccatum originale non eſſe ipſam concupiſcentiam, ut definit Tridentinum *ſeſſ. v. can.* v. ubi inter cetera hæc habentur. *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam catholicam numquam intellexiſſe peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.* Opiniones quoque Ariminenſis de qualitate morbida, & Pighii, atque Catharini de extrinſeca denominatione, ut fictitia & arbitraria commenta, communiter Theologi reiiciunt. His ergo breviſſime indicatis, ad propoſitum quæſitum reſpondeo.

VI. Peccatum originale conſiſtit in privatione iuſtitiæ originalis, ut voluntaria nobis in capite, ſeu vi peccati Adæ. Tria importabat iuſtitia originalis. 1. ſubiectionem rationis ad voluntatem Dei. 2. ſubiectionem virium inferiorum ad rationem. 3. ſubiectionem corporis ad animam. Hanc ſententiam docet 1. 2. *quæſt.* lxxxii. *art.* 2. S. Thomas, cui ſubſcribunt communiter Thomiſtæ, paucis exceptis. Hæc ſunt verba Angelici. *Dicendum, quod unumquodque habet ſpeciem a ſua forma. Dictum eſt autem ſupra ..... quod ſpecies peccati originalis ſumitur ex ſua cauſſa. Unde oportet quod id quod eſt formale in originali peccato, accipiatur ex parte cauſſæ peccati originalis. Oppoſitorum autem oppoſitæ ſunt cauſſæ. Eſt igitur attendenda cauſſa originalis peccati ex cauſſa originalis iuſtitiæ, quæ ei opponitur.*

*Tota autem ordinatio originalis iuſtitiæ ex hoc eſt, quod voluntas hominis erat Deo ſubiecta. Quæ quidem ſubiectio primo & principaliter erat per voluntatem, cuius eſt movere omnes alias partes in finem, ut ſupra dictum eſt ... Unde ex averſione voluntatis a Deo conſecuta eſt inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis iuſtitiæ, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali ſicut quiddam materiale. Inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile. Quæ quidem inordinatio communi nomine poteſt dici concupiſcentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter vero eſt defectus originalis iuſtitiæ.*

VII. Quæſt. II. *Quomodo peccatum originale ſit poſteris voluntarium?* Reſp. eſt nobis voluntarium, non formaliter per modum exercitii, quia non eſt peccatum actuale, ſed terminative, virtualiter, & in cauſſa, per modum effectus, non phyſice, ſed moraliter, quatenus voluntates noſtræ continebantur ex divina ordinatione in voluntate Adami omnium poſterorum capitis. Quod hoc peccatum non ſit nobis voluntarium per modum exercitii, patet. Peccatum enim originale non eſt actuale, ſed habituale, ex Adami peccato inductum. Peccatum autem habituale eſt voluntarium terminative: ergo & originale. Quod non fuerit nobis voluntarium phyſice, ſed moraliter, ſimiliter manifeſtum eſt: quia non phyſice, ſed moraliter voluntates noſtras Adam, ut caput humani generis a Deo inſtitutum, continebat. Hoc exemplo 1. 2. *quæſt.* lxxxi. *art.* 1. exponit hanc doctrinam S. Thomas. *Multi homines ex Adam derivati ſunt tamquam multa membra unius corporis. Actus autem unius membri corporalis, puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, ſi conſideraretur manus ſecundum ſe, ut diviſa a corpore, ſed imputatur ei, inquantum eſt aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio quæ eſt in iſto homine ex Adam ge-*

*generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes qui ex eius origine derivantur; ſicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum.* Spectandus itaque Adam eſt ut perſona particularis, & ut caput totius humani generis a Deo conſtitutum. Porro licet peccatum illius, ut perſonæ particularis, non fuerit poſteris voluntarium; ut tamen illud commiſit quatenus caput humani generis, omnibus voluntarium fuit. Plura & opponi, & diſputari hac de re a Theologis ſolent. Verum hoc in argumento fides habere locum debet. Præterea quæ ſubtiliter a Theologis diſputantur, nihil ad morum informationem conferunt.

XIII. Faciliora non ſunt quæ propagationem huiuſce originalis peccati ſpectant. S. Auguſtinus *Lib. V. contr. Iul. cap.* III. de hac traductione loquens ait: *Hic libentius diſco quam dico, nec audeo docere quod neſcio.* S. Thom. 1. 2. *quæſt.* lxxxi. *art.* 4. hoc pacto hanc peccati originalis in poſteros traductionem exponit. *Peccatum originale a primo parente traducitur in poſteros, inquantum moventur ab ipſo per generationem, ſicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale. Non autem eſt motio ad generationem, niſi per virtutem activam in generatione. Unde illi ſoli peccatum originale contrahunt qui ab Adam deſcendunt per virtutem activam in generatione originaliter ab Adam derivatam; quod eſt ſecundum ſeminalem rationem ab eo deſcendere: nam ratio ſeminalis nihil aliud eſt quam vis activa in generatione. Si autem aliquis formaretur virtute divina ex carne humana, manifeſtum eſt quod vis activa non derivaretur ab Adam: unde non contraheret peccatum originale; ſicut nec actus manus pertineret ad peccatum humanum, ſi manus non moveretur a voluntate hominis; ſed ab aliquo extrinſeco moveretur.* Cetera quæ dici poſſent, fuſe apud Theologos diſcuſſa invenies.

IX. Explicandæ nunc eſſent pœnæ, & effectus peccati originalis, cum horum accurata notitia admodum conducat ad mores informandos, & ad opportunam neceſſariamque remediorum applicationem. Verum hæc omnia ſigillatim deſcripſi *Tom. I. Appar. diſſ.* 1. quæ ibi legere poteris, ne actum agam.

## CAPUT V.

*De peccato commiſſionis, & omiſſionis.*

I. QUæſt. I. *Peccatum commiſſionis conſiſtit ne in aliquo poſitivo vel privativo?* Reſp. Theologi ſcholaſtici prolixam hoc de argumento controverſiam inſtituunt. Thomiſtæ ipſi inter ſe diſſident. Ab inſtituto meo multum aberrarem, ſi huic me immiſcerem certamini, quod moribus formandis nihil confert, & in utramque diſputari partem, ſalva morum integritate, valet. Ex Thomiſtis Sylvius, Ferre, Bancel, Contenſonius, & alii defendunt, peccatum commiſſionis conſiſtere in privativo. Contra Capreolus, Ferrarienſis, Caietanus, Ioannes a S. Thoma, Serra, Salmanticenſes, Gonet, & alii propugnant, eſſentiam peccati commiſſionis ſitam eſſe in poſitivo. Utraque pars teſtimonia allegat S. Thomæ, quæ videntur decretoria. Prior opinio mihi videtur probabilior. At, ne otio abutar, argumenta, quibus fulcitur præfata opinio, cum obvia ſint apud laudatos Theologos, indicta prætermitto.

II. Quæſt. II. *In quo ſitum ſit peccatum omiſſionis?* Reſp. Communis tum Scholaſticorum, tum Moraliſtarum ſententia illud collocat in carentia, ſeu prætermiſſione actus præcepti. Nullus quippe actus poſitivus illius eſſentiam ingreditur, cum per hoc diſtinguatur a peccato commiſſionis. Requiritur tamen actus qui ſit cauſſa, vel occaſio omiſſionis, ut 1. 2. *qu.* lxxi. *art.* 5. docet S. Thomas: quamvis hoc alii negent. Similiter Scholaſtici diſputant, num omiſſio poſſit abſque præcepto eſſe voluntaria, quando non eſt directa. Omnes quippe fatentur, poſſe quemlibet abſque præcepto velle poſitive, & directe omittere voluntarie aliquem actum. Sed diſſertant de omiſſione indirecte voluntaria, quando nempe aliquis advertens ponit aliquem actum qui ſtare ſimul non poteſt cum actu qui omittitur. Quis practice advertit, die feriato mox Miſſam celebrandam, & eligit pro illo tempore ludum, qui ſimul cum auditione Miſſæ componi nequit. De hac omiſſione diſputant, utrum abſque præcepto poſſit eſſe voluntaria. Alii affirmant, alii negant. Omnes tamen loquuntur de omiſſione inculpata; nam certum eſt neque omiſſionem, neque effectum ad illam ſecutum eſſe culpabiles abſque lege, vel præcepto. Sententia affirmans videtur probabilior. Verum quia & hæc quæſtio pure ſcholaſtica eſt, ab eiuſdem diſcuſſione abſtineo.

III. Peccatum commiſſionis, & omiſſionis, dum idem motivum formale ſpectant, ſunt in genere moris eiuſdem ſpeciei. Peccata enim ſpecie diſtinguuntur ex motivis ſpecie diverſis. Ergo quando idem eſt motivum tam commiſſionis, quam omiſſionis, eadem quoque



que eſt malitiæ ſpecies ut docet S. Thom. 1. 2. *quæſt.* lxxii. *art.* 6.

IV. Quæſt. III. *Quando vitiantur actus qui ad omiſſionem culpabilem concurrunt?* Reſp. Ut iam mox ſupra indicavi, quamvis actus poſitivus non ingrediatur eſſentiam omiſſionis, requiritur tamen actus iuxta probabiliorem ſententiam, qui ſit aut cauſſa, aut occaſio illius. Porro actus eiuſmodi, licet abſolute, & ſecundum ſe boni ſint; nihilominus, poſtquam ſunt cauſa vel occaſio omittendi actum præceptum, mali evadunt. Qui enim libere vult cauſſam omiſſionis pravæ, vult ipſam omiſſionem: ergo qui libere ponit talem cauſſam, peccat. Quare ſi quis deliberate omitteret auditionem Miſſæ die feſto, vel ieiunii obſervantiam præceptam propter ludum, aut venationem, aut ſtudium, non ſolum mala eſſet omiſſio audiendi Sacri, vel ieiunandi, verum etiam malum ſtudium, vitioſa venatio, pravus ludus. Diſputant vero Theologi, num actus qui nullo modo ſunt cauſſa, vel occaſio omiſſionis pravæ, ſed eam tantum comitantur, ſint vitioſi? Quis decernit non audire Sacrum: poſt hanc deliberationem, tempore quo implere præceptum deberet, dat operam ſtudio, ludo &c. Ludus, aut ſtudium, tali tempore peracta ſunt ne mala? Negat probabilior, & mihi vera ſententia. Quoniam cum eiuſmodi actus non ſint cauſſa, nec occaſio omiſſionis culpabilis, non eſt unde malitiam accipiant.

V. Difficultas eſt, quinam actus dicendi ſint concomitantes. Aliqui contendunt, illos eiuſmodi eſſe qui componi cum ipſa præcepti obſervatione valent; ut recitatio precum, quæ ſimul cum auditione Sacri fundi poſſunt: actus vero qui componi non poſſunt cum obſervatione præcepti, ut ſtudium, deambulatio, & cetera plura, non concomitantes volunt, ſeu vere influentes in omiſſionem, atque adeo culpabiles. Sed hæc opinio falſa eſt. Nam plures ſunt actus qui exiſtere ſimul cum obſervantia præcepti nequeunt, & tamen vitioſi non ſunt. Quis deliberavit non audire Sacrum: domi remanet, inſtruit ignorantes, diſtribuit eleemoſynam, ſtudio vacat, aſſiſtit infirmis. Actus iſti ſtare nequeunt cum Sacri auditione. Numquid mali ſunt? Unde malitiam accipiunt? Iſti in omiſſionem non influunt, cum omiſſio illos præcedat. Advertendum tamen, minime ſat eſſe deliberationem præcedere, ut actus concomitantes dicantur; ſed neceſſe eſt ut actus qui dicitur concomitans, ſubſequatur totam cauſſam omiſſionis cum internam, tum externam: nam ſi ſolum ſubſequatur ad deliberationem internam, non vero ad externam, concomitans non dicitur. Do exemplum. Clericus navigans decrevit firmiter omittere horas canonicas. Poſt hanc efficacem deliberationem omittendi recitationem horarum proiicit Breviarium in mare. Hæc proiectio culpabilis eſt: quia licet ſubſequatur ad internam deliberationem omiſſionis; tamen hæc interna deliberatio non eſt cauſſa integra & tota omiſſionis. Poteſt enim Clericus retractare hanc deliberationem, & præceptum implere. Proiectio ergo Breviarii complet extrinſecam omiſſionis cauſſam; idcirco vitioſa eſt. Similiter quis deliberavit die dominico non audire Sacrum: prope meridiem ſe dat ſomno, aut venationi. Peccat, quia extrinſecus ſe impotentem conſtituit ad præceptum implendum. Tunc ergo ſolum actus dicuntur concomitantes omiſſionem, quando ſubſequuntur ad totam cauſſam tam intrinſecam, tum extrinſecam omiſſionis. Hoc enim in caſu influere in omiſſionem nequeunt; cum effectus a duplici totali cauſſa produci non poſſit. Contra, licet cauſſa intrinſeca, puta deliberatio omittendi Sacri, præcedat; tamen quia poteſt ſingulis momentis hæc deliberatio retractari, ideo ſi arripiatur venatio, quæ impediat redire ad Eccleſiam, hic actus eſt culpabilis, quia complet cauſſam adæquatam & extrinſecam omiſſionis Sacri. Atque adeo actus non eſt concomitans, ſed influens in omiſſionem. Quando ergo, inquies, actus qui coniungi nequit cum obſervantia præcepti, dicitur concomitans, & non influens in omiſſionem? Iam dixi, quando nempe actus ſupponit cauſſam tum intrinſecam, tum extrinſecam completam. Rem exemplo declaro. Decreviſti non audire Sacrum die dominico. Iter arripis eo, ubi nullo modo audire amplius Sacrum vales. En completam adæquatam omiſſionis cauſſam. Ibi tempore Sacri das operam venationi, piſcationi, ludo: hi actus ſunt vere concomitantes, licet componi cum auditione Sacri nequeant: quia nullo modo influunt in omiſſionem. In loco enim es ubi auditio ſacri non eſt amplius poſſibilis.

VI. Quæſt. IV. *Actus qui eſt cauſſa omiſſionis culpabilis, habet ne malitiam diſtinctam ab ipſa omiſſione?* Reſp. Affirmant aliqui: quia qui ob ſtudium omittit Sacrum, laborat inordinato affectu ſtudendi. Ergo præter malitiam omiſſionis Sacri habet aliam, nempe huius pravi affectus. Communis, & vera ſententia negat: quia ſtudium in caſu poſito ideo eſt malum, quia eſt cauſſa omittendi Sacri.

eri. Ergo ſolam omiſſionis malitiam contrahit. Qui furatur, ut det eleemoſynam, peccat contra iuſtitiam, ſecus contra virtutem miſericordiæ. Niſi ergo actus qui ſunt omiſſionis cauſſa, ſint ſua natura pravi, habeantque peculiarem malitiam, non contrahunt pravitatem ab omiſſione culpabili diſtinctam. Alioquin qui omitteret Sacrum ob ſtudium, magis peccaret quam qui otii cauſſa illud negligeret. Actus præfati omittendi Sacrum, & ſtudendi, ſunt ſubordinati, & moraliter concurrunt ad unum conſtandum peccatum; licet malitiæ ſint numero diſtinctæ. Sic actus voluntatis furandi, conſilii, iudicii, electionis, imperii, & uſus, unicum furti peccatum conflant, quia omnes in idem tendunt. Ad argumentum oppoſitæ opinationis dicimus, tunc ſolum ſtudium evadere nimium & inordinatum, cum inſtat præceptum audiendi Sacrum, quod omittitur propter ſtudium: ſi enim præceptum non urgeret, ſtudium non eſſet vitioſum, ut ſupponitur. Actus qui eſt omiſſionis cauſſa, eſt ne peccatum commiſſionis, an omiſſionis? Si actus abſolute ſpectetur, eſt commiſſionis; moraliter vero acceptus eſt peccatum omiſſionis. Quando actus qui eſt omiſſionis cauſſa, habet mortalem malitiam diſtinctam, ut quando quis Sacrum omittit propter furtum, tum ſimul, & non ſeorſim confitenda ſunt ambo peccata.

VII. Quæſt. V. *Qui ponit culpabiliter cauſſam omiſſionis, peccat ne non ſolum quando ponit cauſſam culpabilem, ſed etiam quando contingit omiſſio, ſi tunc non ſit ſui compos?* Reſp. Quæſtio propoſita duas habet partes. Prior facilis eſt, ſecunda difficilior. Ut a faciliori ergo incipiam, quando quis libere cauſſam ponit, quam ſequitur omiſſio culpabilis, peccatum incipit tempore quo libere ponit cauſſam, conſummatur vero tempore quo urget præceptum. Nam qui directe omittere Sacrum vult, iuxta omnes peccat tempore quo hunc deliberatum actum elicit. Qui deliberate ponit cauſſam impedientem auditionem Sacri, indirecte vult non audire Sacrum: ergo peccat. Si qui ſe periculo peccandi exponit, peccat; potiori iure peccat qui libere ponit cauſſam quam peccatum conſequi moraliter certus eſt. Qui enim vult cauſſam, ſaltem indirecte vult effectum. Cauſſæ poſitio voluntaria eſt; ergo mala. Immo qui ſcienter, aut ignorantia culpabili ponit cauſſam omiſſionis, tunc peccat, etiamſi omiſſio non ſequatur. Et quando poſt poſitam cauſſam manet liber ad implendum præceptum, denuo peccat, ſi non implet. Quia ſi factus ſit impotens ad implendum præceptum, ſi non retractat cauſſam culpabilem, peccat, dum reipſa omittit actum præceptum. Teſtimonia quæ ex S. Thoma opponi ſolent, ſolum evincunt, peccatum compleri, & conſummari, dum urget præceptum, & exterior omiſſio ſequitur; ut mox clarius patebit.

VIII. Secunda pars difficilior eſt, num videlicet omiſſio culpabilis imputetur ebrio, aut dormienti tempore ebrietatis & ſomni, eo quod libere poſita fuit cauſſa talis omiſſionis, puta non audiendi Sacrum. Duplex eſt opinio. Altera negans, affirmans alia. Primum omnium improbanda eſt opinio manifeſte laxa plurium Probabiliſtarum qui docent, blaſphemias, & periuria ex conſuetudine, impediente actualem advertentiam, non eſſe nova peccata, ſed eſſe tantum peccata in cauſſa generante habitum, & conſuetudinem pravam. Quam laxiſſimam opinionem *Tom. II. Appar.* profligavi. Quoniam habituati, & conſuetudinarii poſſunt ſingulis momentis advertere, ſi velint, ad malitiam. Vide *loc. cit. diſſ.* 1. In præſentia difficultas gravis eſt de ebrio, vel dormiente: quia in tali ſtatu ebrius, vel dormiens non poteſt advertere, cum actu compos ſui non ſit.

IX. Prima ſententia negat, ebrium, aut dormientem peccare peccato omiſſionis, dum tempore ebrietatis, aut ſomni omittit præceptum. Quoniam tunc non eſt illi voluntaria talis omiſſio: ergo non adiicit novam malitiam poſitioni cauſſæ culpabilis. Voluntas enim tempore omiſſionis non perſeverat libera; nec ullum exercitium liberum præſtare valet. Hæc opinio probabilis eſt.

X. Secunda ſententia communior, & probabilior defendit, omiſſionem voluntariam in cauſſa culpabili imputari omittenti, & eſſe in ſe peccatum tempore quo urget præceptum, quamvis tunc ob ebrietatem, vel ob ſomnum impedire eam nequeat. Quoniam ad peccatum ſufficit voluntarium, & liberum in cauſſa, in qua prævidetur omiſſio. Dum enim in cauſſa prævidetur omiſſio, eſt voluntaria in cauſſa. Ergo culpabilis in ſe eſt, dum evenit. Pluribus exemplis hanc ſententiam confirmant Theologi. Nam cap. *Mulieres* de ſent. excom. habetur, quod ſiquis voluntarie ſe inebriet, prævideatque ſe occiſurum Clericum, contrahat excommunicationem, ſecuta occiſione. Similiter qui prævidet ex cauſſa libere poſita futuram pollutionem in ſomnis, pollutio ipſa peccatum eſt, ut *III. Part. qu.* lxxx. *art.* 7. docet S. Thomas: *Quandoque nocturna ipſa pollutio ſecundum ſe conſiderata peccatum* mor-



*tale eſſe non poſſit; nihilominus tamen ratione ſuæ cauſſæ quandoque habet mortale peccatum annexum. Et ideo conſideranda eſt cauſſa pollutionis nocturnæ.* Item ſi virgo eo animo inebrietur, ut a viro cognoſcatur, peccat, non ſolum cum ponit cauſſam, ſed etiam cum defloratur. Confirmant hanc ſententiam argumentis ab abſurdo. Si, inquiunt, omiſſio hæc non eſſet culpabilis, ſed effectus peccati, poſſet quis illam deſiderare, ut patet in muliere, quæ licite deſiderat partum fetus ex adulterio concepti, & in comedente carnes die veneris, qui poteſt deſiderare ex iiſdem nutrimentum proprium. Præterea, idem actus pariens omiſſionem opponitur præcepto affirmativo, puta audiendi Sacri, & ab eodem prohibetur, quia eſt omiſſionis cauſſa. Ergo ſi actus iſte peccatum eſt, potiori iure peccatum erit ipſa omiſſio, quæ eidem præcepto opponitur. Nonne ſi lata eſſet excommunicatio contra omittentes Sacrum die dominico, illam incurreret, quando reipſa Sacrum omittit, ſecus quando cauſſam ponit? Excommunicatio autem non incurritur niſi propter peccatum.

XI. Tandem iuxta divinam Scripturam, & omnium Patrum doctrinam dantur peccata ignorantiæ vincibilis, quæ peccanti imputantur ut peccata formalia, & proprie in ſe talia. Sed hæc peccata tempore quo committuntur, non ſunt in ſe ipſis, & directe voluntaria; cum ignorantia auferat voluntarium, & liberum formale, & proprie dictum. Si enim cognoſcerentur, eſſent peccata ex malitia, vel ſaltem ex paſſione. Ergo ſunt peccata in ſe ex voluntario indirecto. Nonne iuxta omnes ebrietas continuata peccatum formale in ſe eſt eo tempore quo durat, quamvis toto illo tempore non ſit libera in ſe, cum auferat rationis uſum? Ergo ad peccatum non eſt neceſſarium voluntarium directum, ſed ſufficit indirectum, ſeu in cauſſa. Hanc ſententiam defendunt S. Thomas 1. 2. *q.* lxxi. *art.* 5. & *qu.* lxxvi. *art.* 3. *ad* 3. & 2. 2. *q.* lxxix. *art.* 3. & *qu.* cl. *art.* 4. & *qu.* 2. *de malo art.* 1. *ad* 11. Caietanus *loco cit.* Scotus in *IV. diſt.* xii. *qu.* 1. *art.* 7. Vaſquez *diſp.* cxxvii. Suarez *de pec. diſp.* iii. *qu.* 1. Salmanticenſes ſcholaſtici *tract.* xiii. *diſp.* v. *dub.* 6. & morales *tract.* xx. *cap.* v. *num.* 56. Contenſonius, Billuart, Sanchez, Caſtropalaus, Lopez, & plures alii.

XII. Ad argumenta contrariæ ſententiæ reſponſio patet ex iis quæ dicta ſunt. Omnia enim huc recidunt. Non eſt peccatum, niſi ſit liberum. Cui reſponſum eſt, niſi ſit liberum vel in ſe, vel in cauſſa, vel directe, vel indirecte. Inſtant. Eo modo eſt peccatum quo eſt liberum. Eſt liberum ſolum in cauſſa. Ergo peccatum erit dumtaxat in cauſſa. Negatur prima propoſitio. Utique nullum peccatum datur, niſi ſit liberum; at non ſemper requiritur libertas directa, & formalis in ſe; ſed ſufficit libertas in cauſſa, ut dicatur peccatum in ſe: actus exterior eſt peccatum in ſe; licet liberum hoc peccatum ſit ex libertate actus interioris. Ex hoc patet in ebrietate, quæ eſt peccatum in ſe, licet in eo inſtanti in quo eſt ebrietas, non ſit libertas, quæ ablata eſt per ipſam actualem ebrietatem. Perperam opponeretur *prop.* 1. damnata ab Alexandro VII. quia nunc non eſt ſermo de voluntario in Adamo, ſed de voluntario, & libero libertate perſonali propria, qua quis ponit omiſſionis cauſſam.

XIII. Poſtremo diſputatio hæc reſpectu ebrii, & dormientis potius metaphyſica eſt: & quamvis concederetur, in his duobus caſibus ebrietatis, & ſomni, in quibus homo uti libertate nequit, omiſſiones eſſe peccatum in cauſſa tantum; hinc tamen idem inferri nullo modo poſſet de aliis omiſſionibus quæ contingunt, dum homo eſt ſui compos, expeditamque habet libertatem ad impediendam omiſſionem, alioſque effectus. Pro praxi autem illud tamquam certum haberi debet, non ſufficere in confeſſione manifeſtare ſolam cauſſæ culpabilis poſitionem, ſed neceſſe eſſe ut omnes omiſſiones, & effectus ſecuti ſubiiciantur clavibus. Quare ſive peccata ſint in ſe, ſive in cauſſa, omnia confiteri pœnitens debet. Et hic eſt communis ſenſus, & praxis fidelium. Quæ praxis ſane confirmat communiorem ſententiam. Et opinio quorumdam Caſuiſtarum negantium, has omiſſiones confitendas, tamquam nimium laxa, & contraria communi fidelium ſenſui, improbanda eſt. Accedit, hoc ſæpe etiam neceſſarium eſſe non modo ad exponendam peccati gravitatem, ſed etiam ad damnum tertii pandendum, ad reſtitutionem faciendam, vel ob cenſuras contractas, vel ob periculum contrahendi.

## MONITUM

*Quam formidanda ſint omiſſionum peccata.*

I. ÆTerna Chriſtianorum perditio ex omiſſionum pravitate, tamquam ex peſtifera radice, proficiſcitur. Neglectus orationis, meditationis & conſiderationis, fons eſt exitialis, unde fere omnia vel graviſſima manant ſcelera. Quot ſunt de ſæculo Chriſtiani qui aliquod quotidianum interval-

lum, qui horæ quadrantem impendant in evangelicis punctis meditandis, qui chriſtianæ profeſſionis ſpiritum aſſequi, & proprii ſtatus onera expendere ſerio curent, qui noviſſima mature recogitent, qui conſcientiæ examen, & iudicium quotidie inſtituant? Hæc ad Monachos, & ad Clauſtrales, ad Religioſos, & ſolitarios pertinere miſeri mortales arbitrantur. Quæ deceptio, & cæcitas eo eſt funeſtior, quo validioribus præſidiis egent illi qui medio in campo cum tot hoſtibus manus conſerunt, & undiqueverſum circumdari inſidiis, & allecti blanditiis reperiuntur. Si intra clauſtra a mundo ſeiuncti Religioſi, veluti plantæ ſteriles, areſcunt, meditatione, & oratione ſublata; quid ſperandum de Chriſtianis in apertis mundi caſtris militantibus, ſi illis fidei, & precum ſcutum deſit? Fides autem ſine mentis meditatione non lucet; quemadmodum Sol illis non refulget qui oculos clauſos tenent. Heu miſeri, & æternum miſeri Chriſtiani, qui tam exquiſitis epulis corpora nutriunt quotidie, & animas tam crudeli fame torquent, ut vix per integras hebdomadas, & menſem aliqua evangelicarum veritatum meditatione & cœleſtium virtutum pabulo eaſdem alant! Saginantur corpora intemperanti crapula, & animæ neceſſario alimento deſtitutæ æternum periclitantur. An minus eſt animabus neceſſarius æternarum veritatum panis, meditationis dentibus bene manſus, quam ſint corporibus cibaria conſueta?

II. Quid ergo mirum, ſi animæ intrinſecus ſuperbia, invidia, ambitione, odio concupiſcentia ardentes, & extrinſecus uſquequaque præſtigiis, pravis exemplis, dæmonum, hominumque machinationibus obſeſſæ, iacent contrucidatæ? Non vacat longius orationem protrahere. Veritas ſeipſa refulget. Ab omiſſionibus cœleſtium virtutum, a neglectu chriſtianæ meditationis ruina Chriſtianorum proficiſcitur. Plures a craſſioribus flagitiis, quæ vel penes mundum ipſum famam obſcurant, maculantque, ſibi cavent; verum negligere proprii ſtatus onera, omittere chriſtianarum virtutum officia, ſilentio obvolvere evangelicas veritates, vix ſibi vitio vertunt. Quis eſt qui clamet: *Væ mihi, quia tacui*: cum occaſio urgebat veritatis manifeſtandæ? Taces, ne ambitionis progreſſionem abrumpas. Erubeſcis Chriſti Evangelium, ne negotiis tuis ſive parvis, ſive magnis præiudicia inferas. Obmuteſcis, ne pacem tuam, ne quietem tuam interturbes, ac ſi militia non eſſet vita hominis ſuper terram. Omittis ea quæ Chriſtus præcipit, ideſt præliari, agonizare, tribulari, crucem ferre, & ea peragis quæ tibi adlubeſcunt, teque mundo & hominibus amabilem reddunt.

III. Animadvertunt Patres, in extremo, tremendoque iudicio Chriſtum Dominum ſolas omiſſiones improperaturum: quia *non dediſtis mihi manducare, non dediſtis, mihi bibere, non ſuſcepiſtis me* &c. quaſi flagitia commiſſionis propria manifeſta malitia ſeipſis ſceleſtos damnent. Iubet Deus ut noſtra pauperibus diſtribuamus: & non modo hæc omittimus, ſed etiam aliena invadimus, & furamur. Iubet Deus ut nos mutuo diligamus: & non modo amorem omittimus, ſed reciproca infeſtatione noſmetipſos laceramus. Iubet Chriſtus ut humilitatis ſtudium colamus: & nos, humilitate neglecta, ſuperbia tumemus. Iubet Chriſtus ut carnem noſtram cum vitiis, & concupiſcentiis affligamus, & maceremus: & nos mortificatione miſſa, carni ſaginandæ navamus operam, & deliciis diffluimus. Iubet Chriſtus ... *Sed quid plura?* (clamat Salvianus Lib. III. de Provid.) *Quid plura? Grave & luctuoſum eſt quod dicturus ſum. Ipſa Dei Eccleſia, quæ in omnibus debet eſſe placatrix Dei, quid eſt aliud quam exacerbatrix Dei? Aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud pene omnis cœtus Chriſtianorum quam ſentina vitiorum? ... Et quod dicimus, ne nimis forſitan grave videatur eſſe cunctos, plus multo dicam. Facilius invenies reos malorum criminum quam non omnium: facilius maiorum criminum, quam minorum, ideſt facilius qui & maiora crimina cum minoribus, quam qui minora tantum ſine maioribus perpetraverint.* Hæc pauca obiter de omiſſionibus delibaſſe ſufficiat, plura dicturus ſuo loco.

## CAPUT VI.

*De diſtinctione ſpecifica, & numerica peccatorum.*

I. QUæſt. I. *Unde petatur diſtinctio ſpecifica peccatorum?* Reſp. S. Thomas 1. 2. *quæſt.* LXXII. *art.* 1. a diverſitate ſpecifica obiectorum repetit primo & per ſe diſtinctionem ſpecificam peccatorum. Peccatum enim eſt actus malus. Sed actus malus, ex libera voluntate procedens, in obiectum tendit. Ergo ab eodem ſpeciem capit. Obiecta autem in eſſe moris ſpecie diſtinguuntur per diverſam aut conformitatem, aut repugnantiam cum lege æterna, & recta ratione. Tunc vero habent diſtinctam repugnantiam cum lege æterna, & recta ratione, quando opponuntur diverſis virtutibus.



Nam ſicut quælibet virtus habet ſpecialem & diſtinctam bonitatem, ita obiectum illi oppoſitum habet ſpecialem & diſtinctam malitiam.

II. Diſtinctio quoque peccatorum ſumitur ex diverſis præceptis, ſpectatis non ex parte præcipientis, ſed ex parte rei præceptæ. Præcepta enim poſſunt eſſe diverſa, vel quatenus a diverſis Superioribus ſunt, ut præcepta iuris divini, eccleſiaſtici, & civilis; vel ratione rei præceptæ. Diverſitas præceptorum reſpectu principii poteſt eſſe tantum materialis: idem quippe furtum prohibetur iure naturali, divino, & humano; & tamen eſt unum ſpecie peccatum. Diverſitas vero formalis repetitur ex diverſitate rei præceptæ, ſeu motivi intrinſeci præcipiendi. Motivum autem intrinſecum, quod etiam dicitur operis, eſt id in quod opus natura ſua tendit; puta, motivum intrinſecum præcepti ieiunii eſt temperantia, motivum intrinſecum eleemoſynæ eſt miſericordia. Motivum autem extrinſecum, quod ſibi præſtituit operans, non confert actui ſpeciem. Hinc omittens Sacrum die feſto alicuius Apoſtoli, aut alterius Sancti, incidente in diem dominicum, unum ſpecie peccatum committit, ſicuti qui violat ieiunia quatuor temporum quæ incidunt in Quadrageſimam. Quoniam hæc præcepta audiendi Sacrum die dominico, & die feſto alicuius Sancti, ieiunandi & diebus quatuor temporum, & diebus aut alicuius vigiliæ, aut Quadrageſimæ, idem motivum religionis, & temperantiæ reſpiciunt. Quod autem legiſlator in præcipiendo aut ieiunium, aut Sacrum, intendat vel pluviam, vel ſerenitatem, vel honorem alicuius Sancti, non infert diverſitatem ſpecificam: quia fines iſti, cum extrinſeci ſint, non conſtituunt diverſæ rationis præcepta. Qui vero ieiunium violaret contra votum editum ieiunandi die veneris, & contra præceptum Confeſſarii ieiunandi eodem die, & quatuor temporum eodem ſimiliter die recurrentium, triplex peccatum ſpecie diſtinctum patraret: unum contra temperantiam, impoſitam a præcepto eccleſiaſtico: alterum contra religionem, quam reſpicit votum: & tertium contra pœnitentiam præſcriptam a Confeſſario.

III. Quæſt. II. *An diverſitas ſpecifica peccatorum ſumatur ex circumſtantiis?* Reſp. Circumſtantiæ morales extra eſſentiam actuum moralium ſunt, & illos extrinſecus duntaxat comitantur, ſeu circumſtant. Septem numerantur a S. Thoma 1. 2. *quæſt.* VII. & a ceteris Theologis. *Quis* indicat perſonam, eiuſque ſtatum. *Quid* materiam prodit. *Ubi* locum ſacrum, vel profanum &c. deſignat. *Quibus auxiliis* inſtrumenta, ſeu media quibus peccatum commiſſum eſt, ſignificat; ut ſi ſollicitaſti virginem medio lenone, ſi percuſſiſti gladio, lapide, baculo. *Cur* finem extrinſecum perhibet, ob quem actionem exercuiſti: ut ſi furatus es ad fornicandum. *Quomodo* modum actus, intenſum, aut remiſſum, coactum, aut voluntarium exprimit. *Quando* tempus denotat.

IV. Dupliciter afficere circumſtantia actum poteſt: aut transferendo illum ad aliam ſpeciem diſtinctam ab ea quæ intrinſecus ineſt actui ex proprio obiecto; ut ſi quis fornicetur cum perſona Deo per votum conſecrata, vel furetur in loco ſacro, aut rem ſacram: aut afficit actum intra eamdem ſpeciem illum augendo; ut ſi quis furetur in magna, aut maxima quantitate. Circumſtantiæ prioris generis vocantur mutantes ſpeciem; poſterioris aggravantes intra eamdem ſpeciem. Hæ poſteriores circumſtantiæ aliæ ſunt leviter aggravantes, quæ ad malitiam mortalem non addunt niſi venialem; ut ſi materia gravis furti ſint quatuor iulii, & quis furetur quinque: aliæ ſunt notabiliter aggravantes, quæ addunt malitiam mortalem actioni iam mortali; ut ſi quis furetur plures aureos. Singulas has circumſtantias fuſius explicui Tom. IX. *de pœnitentia*.

V. Ad quæſitum ergo propoſitum reſponſio iam patet, nempe peccata ſpecie diſtingui, ſeu novam ſuſcipere ſpeciem malitiæ, ex circumſtantiis ſcilicet quæ ſpeciem mutant, ſeu quæ ſpecialem repugnantiam & contrarietatem habent cum recta ratione. Interdum circumſtantiæ iſtæ poſſunt tribuere primariam peccati ſpeciem actui bono; ut ſi quis elargiatur eleemoſynam ob pravum finem vanæ gloriæ, vel Sacrum audiat ob finem ſpectandi impudice mulierem: ſæpe vero, ut dixi, actioni moraliter pravæ addunt novam malitiæ ſpeciem; ut ſi quis furetur in loco ſacro. Circumſtantiæ vero quæ non mutant ſpeciem, cum non habeant diſtinctam repugnantiam cum ratione, non tribuunt novam malitiæ ſpeciem, ſed eamdem duntaxat aut aggravant, ut dictum eſt, aut minuunt, ut patet in naturalibus, in quibus maior, aut minor rei perfectio non a forma ſubſtantiali, ſed ab accidentali, ſeu a circumſtantiis tribuitur.

VI. Quæſt. III. *Utrum peccatum gravius ex obiecto ſuperari in malitia poſſit a peccato inferioris generis ratione circumſtantiarum?* R. Sententia affirmans communior, & probabilior eſt. Periurium v. g. gravius peccatum ex genere

nere ſuo, ſeu ex obiecto, eſt quam furtum, & homicidium; & tamen ſi quis trucidaret ingentem hominum innocentum multitudinem, aut expilaret ærarium publicum, quo aluntur pauperes, vel defenditur Reſpublica, graviora ipſo periurio in prudenti hominum exiſtimatione talia crimina haberentur. Hanc ſententiam S. Thomas 2. 2. *quæſt.* x. *art.* 3. docet. *Nihil prohibet, peccatum quod eſt gravis ſecundum ſuum genus, eſſe minus grave ſecundum aliquas circumſtantias.* Plura rationum momenta quæ afferri ſolent, prætereo, cum res ſeipſa manifeſta ſit.

VII. Quæſt. IV. *Unde ſumatur diſtinctio peccatorum numerica?* Reſp. Iſtius quæſtionis notitia tum pœnitentibus, tum Confeſſariis apprime neceſſaria eſt, cum neceſſarium ſit, ut Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *can.* VII. declarat, iure divino omnia, & ſingula peccata mortalia conſiteri. Variæ a Theologis præſcribuntur regulæ, quibus hæc numerica peccatorum diſtinctio dignoſci valeat. Claritatis gratia diſtinctis quæſitis omnia exponere curabo.

VIII. Quæſt. V. *An ex morali interruptione peccatorum tam interiorum, quam exteriorum circa idem obiectum ſumatur diſtinctio numerica eorumdem?* Reſp. Tunc iuxta communem Theologorum doctrinam actus voluntatis moraliter interrumpitur, quando nec formaliter, nec virtualiter perſeverat. Porro ex triplici capite, inquiunt, actus voluntatis nec formaliter, nec virtualiter perſeverat, ſed interrumpitur. 1. per expreſſam retractationem, ut ſi quis actum priorem furandi retractet, & denuo eumdem actum reſumat; quamvis id ſtatim præſtet, erunt duo peccata numero diſtincta. 2. per ceſſationem voluntariam ab actu voluntatis, dum quis voluntarie mentem alio diſtrahit poſt priorem actum; ut ſi, viſa puella, & de ea delectatus, ad aliud ſe applicet. 3. per naturalem ceſſationem, aut oblivionem, aut diſtractionem, aut per ſomnum.

IX. Primum modum interruptionis communiter Theologi approbant, actum nempe voluntatis interrumpi per voluntariam retractationem. Huic tamen communi doctrinæ contradicit Cardinalis de Lugo *diſp.* XVI. *de pœnit. num.* 52. contenditque, non ſemper prioris voluntatis revocationem impedire moralem peccati unitatem. Quoniam iuxta doctrinam *Leſſii*, & *Laymanu*, aliorumque Probabiliſtarum, qui die ieiunii ſub prandii finem ceſſat comedere, proponitque ſe amplius non comeſturum, ſi poſt hoc propoſitum afferatur, ante completam menſam, novum ferculum ipſius palato accommodatum, valet abſque ieiunii fractione denuo comedere: quia menſæ continuatio ſufficit ad continuationem moralem prandii, quin obſtet brevis illa voluntatis interruptio. Idem contingere poteſt, inquit, interdum in unitate peccati. Hinc infert, ſi quis animo vindictæ alium alapa percutiat, & poſt aliquas percuſſiones proponat abſtinere a percuſſione, abſtineatque reipſa; ſed ſtatim poſt denuo percutiat; non duo peccata confitenda, ſed unum, inquit, commiſit.

X. Hæc plus ſubtiliter quam ſolide excogitavit De Lugo, vir acuto ingenio. Sed ut falſa reiicienda ſunt ſaltem quantum ad actus internos, qui iuxta omnes interrumpuntur per voluntariam, & deliberatam revocationem. Quid? Carnes comedis die ieiunii, ſub finem prandii te vetitæ comeſturæ pœnitet, & contritione perfecta crimen deles. Continuo, adveniente novo ferculo, carnes iterum comedis. Hoc peccatum unum erit, moraliter continuatum cum peccato per contritionem deleto? Quis tale ſibi perſuadere commentum valet? Doctrina ex Leſſio, & Laymano adducta ſuam habere probabilitatem poteſt: quia lex ieiunii præſcribit unicum prandium, quod per actus internos voluntatis non interrumpitur: idcirco ſi ſub finem menſæ quis deliberaret amplius non comedere, & ante finitam menſam comederet, tunc iſte non violaret legem ieiunii: quia unitatem exteriorem prandii non interrumpit iuxta prudentem exiſtimationem. Quæ doctrina licet admitti poſſit, conſectaria tamen quæ hinc eruit De Lugo, falſa ſunt.

XI. De ſecundo modo vix eſt inter Auctores diſſidium. Eo ipſo enim quod quis ab actu concepto ceſſat, & ad alia ſe convertit, prior voluntas dimiſſa eſt, & alia renovata, atque adeo peccata interrupta. Alioquin prior voluntas eſſet, & non eſſet dimiſſa, quod dici nequit.

XII. Diſtinguunt inſuper Theologi, ut ſupra cum S. Thoma vidimus, peccata *cordis*, *oris*, & *operis*. Peccatum *cordis* non reſpicit opus externum, ſed intus conſummatur, ut ſunt peccata odii Dei, & proximi, hæreſis, iræ, invidiæ, avaritiæ, iudicii temerarii. Peccata *oris* in eodem ſimiliter complentur; ut mendacium, periurium, blaſphemia, falſum teſtimonium, contumelia &c. *Operis* denique peccata in externo opere perficiuntur; ut homicidium, fornicatio, furtum, idololatria &c. Hæc omnia peccata interrumpi per actum voluntatis contrarium, communiter Theologi fatentur.





XIII. Difficultas eſt, num interrumpantur non ſolum per voluntariam retractationem, ſed etiam per temporum moralas interruptas. Et quantum ad peccata *cordis* communior & probabilior opinio adfirmat. Nam peccata eiuſmodi, cum in actibus voluntatis conſiſtant, poſtquam commiſſa ſunt, nec formaliter, nec virtualiter remanent. Ergo, multiplicatis actibus voluntatis, multiplicantur peccata.

XIV. Hinc falſa & laxa eſt opinio Ioannis La-Croix, Petri Du-Fay, Tamburini, & aliorum, docentium, præfatos actus non interrumpi per naturalem oblivionem, ſomnum, inconſiderationem, ſed per ſolam revocationem. Quare ſi quis hodie eliciat actum odii, & poſt decem dies eumdem actum non retractatum continuet, hunc unicum peccatum committere volunt. Filliucius, & Buſembau aiunt, non multiplicari peccata, ſi interruptio brevis ſit, & contingat per ſomnum, oblivionem, aut inconſiderantiam: quam opinionem ut laxam reiicit vel ipſe Diana, nedum graviores Theologi. P. Suarez *Tom. IV. in III. Part. diſp.* XXI. *ſec.* 5. *num.* 11. concedit eiuſmodi actus interrumpi per ſomnum, oblivionem, inadvertentiam, cum unus ex alio non dependeat, atque adeo eſſe diſtincta peccata; contendit tamen non eſſe neceſſario confitenda, quando interruptio eſt brevis, cum difficile cognoſci valeat. Quam doctrinam merito reiiciunt, ut falſam, Salmanticenſes *tract.* XX. *cap.* XII. *num.* 24. quia licet interdum interruptio ſit adeo brevis, ut vix diſcerni poſſint plura peccata, tamen ſæpe diſtincte manifeſtanda ſunt. Et quando omnia diſtincte numerari nequeunt, tum manifeſtanda eſt temporis mora. Præceptum divinum confeſſionis impoſſibilia non iubet, ſed præcipit ut ſingula peccata confiteamur eo modo, quo moraliter poſſumus.

XV. Actus vero voluntatis qui reſpiciunt exteriora peccata *oris*, & *operis*, interrumpuntur moraliter, quoties opus exterius conſummatur, aut quoties congrua temporis mora intercedit. Addunt plures recentiores, niſi præfati actus uniantur in aliquo effectu qui ad conſummationem peccati conducat. Si quis propoſitum habeat furandi, illudque exequatur rem alienam reipſa ſurripiendo, & conſummato hoc furto, illud propoſitum renovet, duo committit peccata: quia primum propoſitum completum fuit, media furti executione. Qui vero furari deliberat, & continuo viam arripit, ſcalas admovet, inſtrumenta diſponit, quamvis repetat interiorem primam intentionem, non multiplicantur peccata, ut in *IV. diſt.* XLII. *qu.* 1. *art.* 1. docet S. Thomas. *Contingit eſſe actus plures ſecundum quod ad genus naturæ referuntur, qui tamen ſunt unum, ſecundum quod in genere moris conſiderantur, ut patet in eo qui furatur: quia omnes actus eius, qui ad finem furti ordinantur, peccatum ſunt, cum mala intentione fiant, qui poſſunt valde multi eſſe; & tamen omnes computantur ut unum peccatum: quia non habent rationem peccati, niſi ſecundum quod per unam voluntatem in perverſum finem ordinantur.* Quæ Angelici doctrina iuxta eiuſdem mentem intelligenda eſt, videlicet quando moraliter in prudenti exiſtimatione præfatæ operationes coniunguntur ad furti executionem, ut paulo ante in fure applicante continuo, poſt deliberatum furtum, inſtrumenta, ſcalas, & ea omnia quæ neceſſaria ſunt ad furti completam executionem. Ceterum ſi multum temporis intercederet, tunc actus interrumperentur.

XVI. Quæſt. VI. *Quid dicendum de opinione* Salmanticenſium, Lugo, *& aliorum, aientium perſeverantem annum integrum in voluntate non reſtituendi, unum peccatum committere?* Reſp. Ex laudata S. Thomæ doctrina falſa, & laxa conſectaria colligunt Salmanticenſes *tract.* XX. *cap.* XII. *punct.* 5. §. 1. *n.* 37. ubi ſequentia docent. „ Qui ſtatuit non „ reſtituere rem alienam, ſi non retractat ef„ficaciter voluntatem, unicum peccatum „ committit, etſi *per unum annum* in ea vo„luntate perſiſtat, pluries idem propoſitum „ repetat; immo etſi interim offerantur oc„caſiones reſtituendi, vel alienetur, aut con„ſumatur res, aut debitor impotens reddatur „ ad reſtituendum, aut ſomno ſe tradat, vel „ alio diſtrahatur. “ Pro hac opinione citant Salmanticenſes Scholaſticos *Tom. III. tract.* 11. *diſp.* V. *dub.* 5. *num.* 32. Lugo, Dianam, Trullenchum, Vaſquez, & ſemetipſos in *Tom. III. tract.* XIII. *cap.* 1. *punct.* 14. *num.* 264. Hæc opinio eſt contra communem ſenſum. Per annum quis perſeverans in prava voluntate non reſtituendi, unicum committit peccatum, etiamſi *pluries* renovet iniquum propoſitum? Etiamſi interim offerantur occaſiones reſtituendi, & ipſe res alienet, & ſe impotentem conſtituat ad ſolvendum quod debet? Paradoxa laxitatis hæc ſunt. Dicendum ergo cum Angelico, eiuſmodi peccata non multiplicari, quando breves moræ intercedunt, ut ſi fur intra eumdem diem omnia paret ad furti executionem. Ceterum ſi plures dies intercedant, multiplicari peccata, dicendum eſt.

Quoniam homo qui aut furari, aut occidere inimicum, aut non reſtituere propoſuit, in plurium dierum mora ad alia negotia animum divertit, alia diſparata negotia tractat, ſomno ſe tradit. Inſtaurare ergo novum propoſitum debet exequendi ſcelus deliberatum. Ergo iuxta communem ſenſum, quando interfluunt hæc longa intervalla, non ſolum unius anni, ut dicunt præfati Auctores, ſed unius hebdomadæ, peccata multiplicantur.

XVII. Laxiora ſunt quæ Salmanticenſes ibidem *n.* 46. docent, inquientes: „ Si quis „ intendens occidere inimicum, arma præ„ parat, viam carpit, Salmanticam ad hoc „ venit, *& per multos dies* inimicum quæ„ rit, & tandem occidit: etſi pluries repetat „ prædictam intentionem, unum peccatum „ committit: *& ſatisfacit præcepto confeſſio„ nis dicendo ſe homicidium perpetraſſe, quin „ ſit neceſſarium declarare, quo tempore du„ ravit in illa prava voluntate, & quoties „ eam inculcavit.* “ Hæc mihi videntur falſa, & nimium laxa, præſertim quantum ad id quod præceptum confeſſionis ſpectat. Sit ergo.

XVIII. REGULA PRIMA. Temporis diuturnitatem exprimere fur, occiſor, fornicator &c. in confeſſione tenetur, & ſincere patefacere, quot aut dies, aut hebdomadas, aut menſes, aut annos perduravit in hac prava voluntate exequendi deliberatum ſcelus, ut ex temporis diuturnitate, & repetitione plus minuſve iniqui propoſiti colligere Confeſſarius valeat & malitiæ gravitatem, & animæ ſtatum.

XIX. REGULA SECUNDA. Quamvis definiri abſolute nequeat certus peccatorum numerus in hac longa mora, in qua ſceleſti homines perſeverant; tamen hæc mihi videtur regula communi ſenſui conformior, nempe ad multiplicationem dierum multiplicari peccata. Integer enim dies ſimul cum nocte ſufficiens mihi apparet ad interrumpendum conceptum propoſitum. Quoniam ſomnus, alia negotia, quæ communiter tractare homines ſolent, adeo diſtrahunt voluntatem, ut iuxta prudentum exiſtimationem die craſtino fur, occiſor, fornicator, alienæ rei uſurpator nova voluntate concipiat ſcelus. Quod remanere, & continuari virtualiter dicunt in reſtitutione facienda, in furto exequendo primum propoſitum, quando plurium dierum mora intercedit, vanum ineptumque commentum eſt. Quid? Perſeverare ergo poterit non modo per integrum annum, ſed per totam vitam debitor in prava voluntate retinendi rem alienam, & unum peccatum patrabit contra iuſtitiam; licet pluries peccabit contra annuæ confeſſionis præceptum? Quid quod & *Tom. I. in Decal.* & *Tom. IX. diſſ. 1. de pænit.* docuimus, peccatorem per menſem, immo præter propter per hebdomadam differentem ſuam in Deum converſionem novum peccatum patrare ob pœnitentiæ dilationem? Ipſi Salmanticenſes docent, peccare eum qui differt implorare abſolutionem ab excommunicatione: & non peccabit qui protrahit ſuam cum Deo reconciliationem? Verum, miſſis diſputationibus, duæ, quas præſcripſi, regulæ mihi, & communi fidelium ſenſui, & ſaniori doctrinæ valde conformes apparent. Quiſque vero in ſuo ſenſu abundet, dummodo prima ſervetur regula, quæ negligi abſque ſacramentalis confeſſionis præiudicio nequit. Et hæc ſufficiant de hac implicatiſſima materia.

XX. Quær. VII. *An peccata numerice multiplicentur ex diverſitate obiectorum?* Reſp. Si obiecta ſpecie differant, tunc non ſolum numero, ſed etiam ſpecie peccata multiplicantur. Quæſtio ergo eſt de obiectis quæ ſolo numero diſtinguuntur, quæque ſunt integra, & non partialia. Porro hoc in ſenſu communis, & vera ſententia docet, peccata diſtingui numero per obiecta numero diſtincta; quemadmodum peccata ſpecie diſtinguuntur per obiecta ſpecie diverſa. Ideo enim peccata ſpecie multiplicantur ex obiectis ſpecie diverſis, quia reſpiciunt hæc obiecta tamquam terminos ſeu fines, a quibus ſpeciem capiunt. Actus quippe voluntatis ſunt veluti motus tendentes in ſua obiecta, tamquam in terminum in quo quieſcunt. Motus autem ſuam unitatem capit a termino. Ergo peccata ſuam unitatem, aut diverſitatem accipiunt ab unitate, vel diverſitate obiectorum. Sententia hæc communis eſt inter Theologos.

XXI. Ex hac doctrina multa practica conſectaria elicienda ſunt pro maiori explicatione, & clariore tum Confeſſariorum, tum pœnitentium inſtructione. Infertur 1. contra Salmanticenſes, & alios, illum qui unico actu, aut pluribus actibus ſucceſſive blaſphemaret duodecim Apoſtolos, non unum, ut cum aliis docent Salmanticenſes *n.* 40. ſed plura committere peccata, cum plures Sanctos iniuria afficiat. Infertur 2. eum qui pluribus contumeliis diverſi generis hominem afficeret vocando eum furem, adulterum, homicidam, lenonem &c. abſolute plura committere peccata: quia in diverſo genere honorem læderet, & iuxta prudentum exiſtimationem gravia detrimenta inferret. Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt. Nam ſi homines de trivio



vio aut feminæ ſimul rixantes eodem iræ impetu ſe his diverſis contumeliis onerarent, cum iuxta communem exiſtimationem infamiam non ſubirent, quod audientes omnia præfata, & ſimilia convicia ex iracundiæ impetu proficiſci intelligerent, tum unicum eſſet peccatum, plus & minus grave iuxta circumſtantiarum varietatem.

XXII. Infertur 3. Qui præfatas contumelias contra plures homines proferret, tot peccata committeret, quot homines infamaret. Quoniam quilibet homo ius habet ad ſuum honorem, & famam. Ergo conviciator diverſa iura læderet, & diverſas perſonas dedecoraret. Et hanc opinionem probant cum aliis citati Salmanticenſes *n.* 41. licet paullo ante docuerint, unicum peccatum committere illum qui etiam pluribus actibus ſucceſſive blaſphemaret duodecim Apoſtolos.

XXIII. Infertur 4. Qui unico actu quatuor homines intendit occidere, vel reipſa occidit, quatuor peccata numero diſtincta perpetrat. Quare falſa, & laxa opinio eſt quam docet Caramuel in *Reg. S. Benedicti diſp.* LXII. *n.* 910. nempe præfatum occiſorem, aut calumniatorem unicum committere peccatum. Quoniam, inquit Caramuel, licet ſint plures homines occiſi, aut iniuriati in genere phyſico, unus tamen eſt in genere moris: quia unius actus unicum eſt obiectum. Quare iuxta ſententiam illorum qui defendunt circumſtantias aggravantes non eſſe aperiendas in confeſſione, ſat erit dicere: Semel volui occidere, aut, ut alii dicunt, ſemel *homicidavi* &c. Quam ſint hæc laxa, & a communi ſenſu aliena nemo non videt.

XXIV. Non minus falſa, & laxa eſt opinatio quam defendit P. Zanardus in *Directorio*, verius *Corruptorio part. 1. cap.* XVII. nempe eum qui dormit cum amaſia, etiamſi ter eam cognoſcat, unum peccatum committere; *nec teneri dicere, Ter vicibus cognovi, ſed ſatis quod potui.* Zanardus, licet Dominicanus, Caſuiſta eſt laxarum opinionum collector, atque adeo improbanda eiuſdem opera moralia: quorum raro memini, quia eiuſdem opera a nemine leguntur, & vix reperiuntur, ſed merito iaceat paſcendis blattis.

XXV. Infertur 5. Qui uno actu furatur animalia plurium dominorum ex eodem ſtabulo, vel grege, tot perpetrat peccata, quot ſunt domini, quia omnium dominorum iura lædit. Qui ſtatuit per totam Quadrageſimam non ieiunare, non recitare horas canonicas, tot peccata committit, quot ſunt dies.

XXVI. Infertur 6. Tactus, & oſcula quæ copulam antevertunt, non conſtituunt peccata diſtincta a copula; cum ad hanc ordinentur, efficiantque unicum obiectum totale. Leander, Ioannes Sanchez, Moya, quos citant *n.* 45. quibuſque ſubſcribunt Salmanticenſes, idem aſſerunt de tactibus & oſculis ſubſequentibus ad copulam. Sed probabilius alii negant: quia, copula conſummata, omnia completa ſunt; nec ſubſequentia integrant, ſeu perficiunt priorem actionem, ſed præparant aliam. Et in hoc ſenſu fatentur vel ipſi Salmanticenſes eiuſmodi oſcula & tactus eſſe nova peccata. At contendunt communiter eſſe veluti menſæ bellaria, & ad primam actionem pertinere. Si quis, inquiunt, occidat inimicum, & ſtatim gaudeat de morte, non committit diſtinctum peccatum: ergo idem dicendum de delectatione copulæ immediate habitæ. Falſiſſimum eſt antecedens, ergo falſum quoque conſequens. Gaudium de morte illata non eſt novum peccatum? Immo peccatum eſt ſævitiam pluſquam ferinam occiſoris patefaciens.

XXVII. Infertur 7. laxam eſſe opinionem Leandri, Dianæ, De Lugo, Salmanticenſium, qui *n.* 46. docent, Confeſſarios, in peccato mortali plures ſucceſſive confeſſiones audientes, & abſolventes, unicum committere peccatum mortale: quia, inquiunt, licet actiones ſint materialiter diverſæ, formaliter tamen coniunguntur in una irreverentia irrogata ſacramento, & Deo. Abſolutio ſacramentalis actio perfecta eſt, & integra, ſicuti & ſacramentum. Formalis hæc coniunctio chimærica eſt, omni deſtituta fundamento. Ergo Confeſſarius iſte tot peccata committit, quot abſolutiones impertitur, quot baptiſmata adminiſtrat. Si Confeſſarius integrum diem audiens confeſſiones, & abſolvens committeret unum peccatum mortale, ſimiliter luxurioſus integram noctem cum pluribus feminis fornicans unum committeret peccatum: quo quid abſurdius dici poteſt?

XXVIII. Infertur ultimo. Opinio Bonacinæ, Filliucii, & aliorum, docentium, illum qui uno actu intendit occidere integram familiam, aut eam infamare, unum patrare peccatum, falſa evidenter eſt. Quidquid ſit, quod iuris fictione, ut aiunt, familia una perſona dicatur, revera tamen familia pluribus conſtat; immo una ſola perſona conſtare familiam nequit. Et reipſa citati Auctores familiæ nomine perſonas plures intelligunt; ſed plures perſonas unam perſonam dicunt, quia omnes coniunctæ ſunt in eadem familia. Heinc qui unico actu, ſeu incendio integram

occi-

occideret civitatem, integrum exercitum, unicum committeret peccatum; nec obſtrictus eſſet in confeſſione dicere, niſi *ſemel homicidavi*. Tædet tam abſurda paradoxa refellere.

XXIX. Quæſt. VIII. *An in eodem actu phyſico poſſint eſſe plures malitiæ numero diſtinctæ?* Reſpond. Opinionem negantem defendunt Suarez, Layman, Filliucius, Leander, & alii. Adfirmantem ſententiam propugnat S. Thomas in *II. diſt.* xlii. *artic.* 1. his verbis. *Sicut autem ſupra oſtenſum eſt, actus non ponitur in genere moris, niſi propter voluntatem, ſcilicet ſecundum quod eſt a voluntate elicitus, aut imperatus: & ideo ſecundum unitatem voluntatis eſt ſumendum iudicium de unitate eius quod in genere moris dicitur: unde contingit aliquid quod eſt unum in genere naturæ conſideratum, ut unum motum continuum, eſſe plures ſecundum quod ad genus moris retorquetur, ſi voluntas in actu variatur, ut quando bona intentione quis incipit, & mala terminat, ut ſupra oſtenſum eſt. E contrario contingit eſſe actus plures, ſecundum quod ad genus naturæ referuntur, qui tamen ſunt unum, ſecundum quod in genere moris conſiderantur; ut patet in eo qui furatur, quia omnes actus eius qui ad finem furti ordinantur, peccatum ſunt; cum mala intentione fiunt; qui poſſunt valde multi eſſe; & tamen omnes computantur ut unum peccatum: quia non habent rationem peccati, niſi ſecundum quod per unam voluntatem in unum perverſum finem ordinantur.* Huic S. Thomæ doctrinæ ſubſcribunt non modo Thomiſtæ, ſed communiter etiam extranei, ut Vaſquez, Azorius, Henriquez, Hurtado, Granados, Salas, Caramuel ipſe ſibi contrarius, Salmanticenſes *n.* 61. Plura adducunt Theologi iſti rationum momenta, quæ paucis perſtringam.

XXX. Idem numero actus in eſſe phyſico plures malitias ſpecie diverſas habere poteſt. Ergo potiori iure pluribus affici pravitatibus valet ſolo numero diſtinctis. Quemadmodum enim idem phyſice actus cum pluribus virtutibus ſpecie diverſis pugnat; ſic oppoſitionem habere ſæpe poteſt cum pluribus numero diſtinctis iuribus. Ergo ſi lædit diſtincta numero iura, diſtinctas numero malitias contrahit. Dum coniugatus uno voluntatis actu deſiderat ſolutam fœminam, & coniugatam, hoc ſecundum adulterii malitiam continet, qua caret primum cum ſoluta. Hæc malitia eſt in eadem adulterii ſpecie: ergo ſolo numero diſtincta eſt. Prætetea iura violata diſtincta non ſunt ſpecie, ergo numero. Denique diſtinctio numerica peccatorum, non ſolum a ſubiecto, ſed etiam ab obiectis numero diſtinctis, & totalibus ſumitur. Sed idem numero actus plura obiecta integra, & adæquata, numero ſolo diſtincta, reſpicere valet; ut patet in eo qui uno voluntatis actu occidere decem homines cupit. Ergo decem numero malitias diſtinctas contrahit.

XXXI. Opponunt. Duo accidentia ſolo numero diſtincta nequeunt in eodem ſubiecto exiſtere. Ergo neque duæ numero malitiæ in eodem actu. Negatur conſequentia, tamquam ineptiſſima, & diſparatiſſima. Accidentia phyſica a ſubiecto ſolo ſuam capiunt, ut aiunt, *individuationem*. Accidentia autem moralia non a ſubiecto, ſed ab ordine ad rationem, & ad legem. Hic autem ordo multiplex in eodem actu eſſe poteſt iuxta obiectorum multiplicitatem, vel iurium diverſitatem. Argumentatio itaque eſt a genere phyſico ad genus morale, ab accidentibus abſolutis ad accidentia reſpectiva.

XXXII. Alias obiectiunculas prætereo, potiſſimum quod earum diſcuſſio ad praxim nihil conferat; cum Suarez ipſe concedat, obſtringi pœnitentem ad manifeſtanda in confeſſione tot obiecta, ſeu perſonas, quot lædere deliberavit, aut læſit reipſa. Defendit enim ipſe, circumſtantias notabiliter aggravantes manifeſtandas in confeſſione eſſe. Et hoc ad praxim ſat eſt. Cetera ſunt metaphyſicæ argutationes, nullius prorſus momenti. Quamvis & hoc in genere falſa prorſus ſit P. Suarez, & illorum opinatio.

## CAPUT VII.

*Nonnulla quæ praxim ſpectant de moroſa delectatione, de perfecta & imperfecta deliberatione, de diſcernendis venialibus a mortalibus, reſolvuntur.*

I. NOn pauca hactenus diſputavimus quæ aut raro accidunt, aut a praxi abſtracta ſunt. Quæ hoc in capite dicturi ſumus, & praxim immediate ſpectant, & frequenter occurrunt. Cogitationes moroſæ torquere vel ipſos moratos homines ſolent: idcirco declarandæ accuratius iſtæ ſunt.

II. Quæſt. I. *Quid ſit cogitatio moroſa?* Reſpond. Eam deſcribit S. Auguſtinus *Lib. XII. de Trinit. cap.* xii. his verbis. *Cum ſola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens eſſe facienda, tenens tamen & volens quæ ſtatim, ut attigerunt animum, reſpui debuerunt.* Duo itaque in cogitatione moroſa diſtinguenda ſunt, nempe cogitatio, & delectatio rei illicitæ. De delectatione moro-

ſa plu-



ſa plura ſcripſi *Tom. IV. in Decal. Lib. VIII. diſſ.* ii. *quæſt.* xv. *& ſeqq.* ubi laxa nonnullorum Caluiſtarum commenta profligare ſtudui. Ne eadem repetam, lege quæ ibidem dicta ſunt.

III. Quæſt. II. *Quid ſit perfecta, quid imperfecta deliberatio?* Reſp. Perfecta deliberatio eſt, cum intellectus, omni turbatione, & impedimento ſublatis, diſtincte apprehendit, & advertit, ſeu advertere poteſt, & debet, actum eſſe bonum, aut malum. Perfectam deliberationem intellectus conſequitur ex parte voluntatis conſenſus, aut diſſenſus. Imperfecta deliberatio eſt, cum quis aut variis cogitationibus diſtractus, aut vehementi paſſione preſſus, aut ſemi-ebrius, vel ſemi-dormiens neque diſtincte, neque plene, ſed in confuſo dumtaxat apprehendit, vel apprehendere poteſt actum malum, & eiuſdem vitandi obligationem: quo in caſu conſequens voluntatis conſenſus imperfectus, & ſemiplenus eſt

IV. Signa itaque imperfectæ deliberationis ſunt. 1. ſi quis ſemi-dormiens fuerit, vel ſemi-ebrius. 2. ſi paullo poſt turbatam apprehenſionem, & voluntatis ſemi-plenam deliberationem indicet ſe omnino non fuiſſe facturum, ſi rem plene & diſtincte cognoviſſet. 3. ſi quis ſemi-dormiens leviter apprehendat, eique videatur & non videatur apprehendere. 5. ſi primo paſſionis impetu, primoque motu rem in confuſo cognoſcat.

V. Ut autem facilius colligas, quando ſit ſemi-plena, & imperfecta deliberatio, ſtatum & diſpoſitionem animæ dubitantis expende, & inde inferre poteris, fuerit nec ne imperfecta deliberatio. Si quis ita diſpoſitus & paratus ſit, ut plene advertens ſemper tentationem repellat, ſi mori potius vellet quam mortaliter Deum offendere; quando reperis Chriſtianos his diſpoſitionibus præditos, probabilius, immo probabiliſſimum eſt deliberationem fuiſſe ſemi-plenam, & imperfectam. Chriſtiani ſimiles, cum in ſomno, vel in vigilia motus inordinatos, aut pollutiones paſſi fuerint, dubitentque, an conſenſerint nec ne, exiſtimare poſſunt probabiliſſime non conſenſiſſe: quia cum non ſoleant plene advertentes conſentire, præſumendum in his perplexitatibus in eorum favorem. Tentationis diuturnitas non præbet ſufficiens fundamentum conſenſum adfuiſſe, ſive perfectum, ſive imperfectum. Diu enim durare tentatio valet, voluptate repugnante.

VI. Quæſt. III. *Quid ſit ratio ſuperior, & quid inferior?* Reſp. Quemadmodum appetitus ſenſitivus dividitur in iraſcibilem, & concupiſcibilem; ita ratio ſuperior, quæ mens, & intellectus appellatur, licet ſit potentia una, tamen in inferiorem, & ſuperiorem tribuitur. Ratio inferior conſiderat humana motiva, quæ, comparata ad divina, inferiora ſunt. Cum in aliquo negotio ſpectamus utilitatem temporalem, incommoda, gloriam, infamiam, delectationem, moleſtiam, & alia ſimilia; hæc pertinent ad rationem inferiorem. Quando e contrario conſideramus, num negotium, ſeu res agenda, vel acta, ſit conformis legi æternæ, vel contraria; tunc conſideratio eiuſmodi pertinet ad rationem ſuperiorem.

VII. Quæſt. IV. *An peccatum eſſe poſſit in ratione inferiori?* Reſpond. Neque in ſuperiori, neque in inferiori ratione peccatum reperiri poteſt abſque voluntatis conſenſu; cum omne peccatum ſit voluntarium. Hinc eſt, ignorantiam, & errorem invincibilem a peccato excuſare, quia aufert libertatem. Si in ratione ſuperiori nulla ſit advertentia, nullaque negligentia, dum ratio inferior expendit commoda, vel incommoda quæ obvenire poſſunt vel ex hereditate, vel ex alio negotio, & appetitus ſenſitivus delectatur, nullum eſt peccatum. Si ratio ſuperior in eiuſmodi negotiis negligenter ſe gerat, & ſemiplene, imperfecteque percipiat motiva temporalia, & delectationem inde conſequentem repugnare legi æternæ, peccatum erit veniale. Quando vero ratio ſuperior iudicium partis inferioris approbat, aut plene advertit, vel poteſt, debetque advertere eſſe contrariam legi æternæ, tum delectatio inde capta erit mortalis, ſi ex re letaliter mala capitur. Neque neceſſe eſt ut ratio actu advertat, & actu cogitet de lege æterna. Sed ſat eſt ut poſſit advertere. Alioquin qui peccant ex habitu, vel ignorantia vincibili, eſſent a peccato immunes. Verum hæc de re fuſe diſputatum eſt *Tom. II. Appar.* & alibi. Sæpe homines peccant, plura præſentis vitæ oblectamenta laudantes in familiaribus colloquiis, & inepte ſe ſe excuſant, quod abſtrahant a lege æterna, effutientes: *Hæc dicta ſunt ſecundum hominem*. Quin contra naturam hominis rationalis eſt, & homini beſtiali conforme amare quæ repugnant rationi, & æternæ Dei legi. De illis qui *negative* ſe habent, inſurgentibus concupiſcentiæ motibus, dictum eſt locis citatis.

VIII. Quæſt. V. *Quibus ſignis diſcerni peccatum mortale a veniali poſſit?* Reſp. Plura ſupra *cap.* iii. dicta ſunt de diſtinctione pec-

cati

cati mortalis, & venialis. Perdifficilem hanc diſtinctionem fuiſſe ipſi ingeniorum aquilæ S. Auguſtino, *loc. cit.* animadverti. In præſentia tres dumtaxat regulas aſſignabo, quibus diſcerni mortale a veniali poſſit.

IX. *Regula prima*. Peccata quæ in Scripturis ſanctis appellantur deteſtanda, execranda, abominabilia, morte digna, aut quæ dicuntur excludere a regno Dei, vel quibus addicitur maledictio, aut væ, ſunt mortalia. Plura exempla occurrunt & *Prov.* VI. & *Iſaiæ* V. & *Rom.* I. & *I. Cor.* VI. & *Matth.* XII. & alibi non raro.

X. *Regula ſecunda*. Quæ iuxta Eccleſiæ traditionem, SS. Patrum, & graviorum Theologorum doctrinam indicantur mortalia, talia reputanda ſunt. Contra loco venialium habenda ſunt quæ a SS. Patribus, Epiſcopis, & gravioribus Theologis venialia exiſtimantur. Quandoquidem Deus promiſit Eccleſiæ ſuæ ſe collaturum lumen veritatis, & præſidia neceſſaria in animarum regimine, & in iis quæ ad æternam ſalutem aſſequendam ſunt neceſſaria.

XI. *Regula tertia*. Peccata quæ ſecundum rectam rationem graviter lædunt iuſtitiam, caritatem Dei, & proximi, ſunt mortalia; quæ leviter, venialia. Ut autem diſtinguere valeas quandonam graviter, aut leviter hæc iura iuſtitiæ, vel caritatis lædantur, plura ſunt conſideranda. 1. Natura actus, qui excipiat, aut excludat materiæ parvitatem. 2. Materiæ gravitas, vel levitas tum ex parte obiecti vel finis, tum ex parte circumſtantiarum in iis quæ eas admittunt. 3. An peccata ex genere ſuo gravia ſint, vel ſecus. 4. Legis ſpiritus, & verborum forma. 5. Legislatoris intentio, & finis. 6. An peccatum commiſſum cum plena advertentia fuerit. 7. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Serio meditare, num te graviter læſum reputares tali aut tali actione.

XII. Quæſt. VI. *Qui a venialibus abſtinere non ſtudet, eſt ne in gravi periculo labendi in mortalia?* Reſp. Tremenda, formidandaque quæſtio hæc eſt, nihil ſpeculativa, ſed tota practica. Affirmantem ſententiam propugnant Patres omnes, & graviores Theologi, quorum nonnullas rationes ſupra *cap.* III. obiter indicavi, & nunc plures dabo. Venialia, ut ibidem diximus, ad mortalia diſponunt. Sunt quippe teredines, & vermiculi corrodentes ſpiritualis vitæ medullam, nitorem offuſcantes, & fervorem refrigerantes caritatis. Porro qui ſe exponunt periculo amittendi gratiam, & peccandi mortaliter, parum abſunt a peccato mortali, & extremos abyſſi cardines ambulant.

XIII. Sed magnum incutere terrorem vel ſanctis viris debet illud tremendiſſimum Prophetæ Ieremiæ *cap.* XVIII. oraculum: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter;* alii legunt *negligenter*. Porro illi opera Dei valde negligenter facere ſatis probabiliter præſumuntur qui peccata venialia ut aquam bibunt, eaque emendare nihil aut valde parum curant. An Dei opus negligenter non perficiunt Chriſtiani qui ſacratioribus myſteriis chriſtianæ religionis animo diſtracto aſſiſtunt, qui vel ipſos feſtos dies, divino cultui conſecratos, in profanis oblectamentis impendunt? Quid de Sacerdotibus Domini dicam, qui corde arido, & mente ineptiſſimis cogitationibus occupata, ad tremendiſſimum ſacrificium celebrandum accedunt, nulla, aut breviſſima præparatione præcedente, nulla devotione comitante: immo tam indevote, tam indecore ſacra illa myſteria tractant, & tanta feſtinatione illa perficiunt, ut videantur credere omne aliud, præter realem Chriſti præſentiam, Deique maieſtatem ibidem reſidere?

XIV. An Chriſtiani, Sacerdotes, & Religioſi, qui venialia familiaria habent, qui comptuli, & barbatuli mundo placere, mundique delicias guſtare ſtudent, divinum illud, ſupremumque mandatum implent: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis* &c? An toto cordis affectu, an tota mentis vigilantia, an toto devotionis ſtudio Deum diligunt qui innumeras Dei offenſas in more habent? Quis umquam avarum vidit pleno affectu pecuniam amantem, quotidie innumeras pecuniæ iacturas, licet parvas, negligere, aut parvi facere; nullamque adhibere curam eaſdem reparandi? Quis vidit umquam amore puellæ captum eam quotidie vel levibus iniuriis afficere? Totis viribus, tota virtute Deum diligunt qui tam flaccide, tam tepide, tam languide, quæ Dei ſunt, peragunt? Tanta eſt iſtius mandati amplitudo, & tam extenſa obligatio, ut in dies divinus amor in nobis proficere, & augeri debeat. Numquam in hoc amoris ſtadio ſiſtere gradum licet, ſed continenter progredi, & ad plenitudinem aſpirare oportet. Huccine ſuos conatus dirigunt qui quotidianis culpis, veluti aquarum guttis, caritatis flammam coercent, & reprimunt?

XV. Perge porro, & alia Scripturarum oracula expendamus. *Præpara animam tuam ad tentationem:* inquit Eccleſiaſticus. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem:* clamat Matt. cap. XXVI. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis:* concludit Lucas *cap.* XXI. An præparantur ad tentationum victoriam qui quotidianis voluntariis culpis infirmitatem propriam aggravant, qui continua ſocordia pravos culparum venialium habitus roborant, qui ad ipſam orationem confabulantes, & iocantes accedunt? An potius illi Deum non tentant? Nam, ut 2. 2. *quæſt.* XCII. *art.* 3. *ad* 2. S. Thomas docet, *ille qui ante orationem animam ſuam non præparat .... ad devotionem ſe non diſponendo, non facit quod in ſe, ut exaudiatur a Deo. Et ideo quaſi interpretative tentat Deum.* Non modo non vigilant, non modo vires non inſtaurant ad vincendos hoſtes, undique nos obſidentes, qui venialia peccata nihili faciunt, ſed ea in dies voluntarie & deliberate multiplicant, qui evellendis pro virili non attendunt, ſed Deum potius tentant, & Dei maledictionem adverſus eos qui opera Domini negligenter tractant, ſibi arceſſunt. Cedo: ſi quis iter per ſilvas & ſpeluncas latronum & graſſatorum pleniſſimas arriperet; ſi quis inter ſyrtes & charybdes, atque piratas navigaret inermis, otioſus, iocis & fabulis, vaniſque diverticulis diſtentus, an demens, & ſtultus non haberetur? Et nos, qui in agone quotidie contendimus, non modo extraneis piratis expoſiti, non modo ſyrtes, & charybdes continenter offendentes, ſed domeſticis, & inteſtinis hoſtibus indefeſſe exagitati, & vexati: nos, qui corporis huius, & cupiditatum pondere ad mala impellimur, & protrahimur: nos, inquam, non modo excubias continuas non agimus, non modo non vigilamus, non oramus, ut oportet, ſed deliberate proprias augemus infirmitates, vires noſtras ipſimet extenuamus, atque adeo inimicos noſtros provocamus, illis rimas aperimus, ut facilius animæ noſtræ arcem ingrediantur, eamque deprædentur. An dum vitam adeo deſidem, inertem, & torpidum agimus, per vim cælum rancifci admittimur? An graviſſimum proficiendi in via Domini, & comparandæ proprii ſtatus perfectionis mandatum implemus? Minime gentium, clamant Patres omnes. *Semper tibi diſpliceat quod es* (inquit S. Auguſtinus ſerm. XV. de verb. Apoſtol.) *ſi vis pervenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti. Si autem dixeris, Sufficit, periiſti.* Plurima huc attinentia S. Bernardus *epiſt.* XCI. ſcribit. *Minime profecto eſt bonus qui melior eſſe non vult; & ubi incipit nolle fieri melior, ubi etiam deſinit eſſe bonus.* Item epiſt. CCLIII. *Nolle proficere, deficere eſt. Non vis proficere, o Chriſtiane? Non? Vis ergo deficere ... Sic mihi, inquis, vivere volo, & manere, in quo perveni: nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod eſſe non potes? .... Ibi tu, Chriſtiane, fige tui curſus, profectuſque metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam. Factus eſt obediens uſque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, ſi uſque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis* &c. Plurima alia ibi Bernardus habet, quæ prætereo. Verum, SS. Patrum documentis miſſis, pauca ex ſeſſ. VI. Tridentini decerpere iuvat. Siquidem *cap.* X. hæc habentur. *Sic ergo iuſtificati, & amici Dei, ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apoſtolus inquit, de die in diem; hoc eſt, mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem per obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus creſcunt, & magis iuſtificantur, ſicut ſcriptum eſt: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & iterum: Ne verearis iuſtificari uſque ad mortem .... Hoc iuſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, ſpei, & caritatis augmentum.* Et rurſus *cap.* XIII. ſubdit ſacra Synodus: *Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant; & cum timore & tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiuniis, & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti: Debitores ſumus, non carni, ut ſecundum carnem vivamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

XVI. Quid, ſi laudati a Concilio Pauli Apoſtoli præcepta addideremus? An otioſi, tepidi, mendaces cum timore & tremore ſalutem operantur? An obediunt Principi Apoſtolorum Petro *Epiſt. II. cap.* 1. dicenti: *Satagite ut per bona opera veſtram certam veſtram vocationem & electionem faciatis?* An illi ſatagunt, conantur que per vim acquirere regnum Dei? Quid de illis Eccleſiaſticus cap. XIX.? *Qui ſpernit modica, paullatim decidet.*

Quid Prov. xxiv. Salomon? *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti; & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat.* Ager ille vita eſt Chriſtiani, Sacerdotis, Religioſi clauſtralis, negligentis, otioſi, pigri. Vita hæc vinea eſt ſilveſcens venialium culparum ſpinis, & urticis repleta, & lapidum maceriæ deſtructioni proxima. Teſtimonia Patrum in hanc vividam Salomonis parabolam brevitatis gratia prætereo. Per agricolæ pigritiam in agri cultu exprimit Salomon pigritiam ſpiritualem, quaſi dicat: Sicut pedibus tranſiens per pigri vineam, ſqualorem eiuſdem vidi; ſic mentis oculis luſtrans vitam, animam, & conſcientiam hominis inertis, qui illam excolere negligit, non modo virtutibus vacuam vidi, ſed repletam etiam carduis, urticis, & ſpinis vitiorum, carnis, & dæmonis incurſionibus expoſitam. Inquit enim *Lib. Paſtor. admon.* 34. S. Gregorius: *Qui peccata minima flere, ac devitare negligit, a ſtatu iuſtitiæ, non quidem repente, ſed partibus totus vadit.*

XVII. Paveant ergo Chriſtiani omnes. Totis artibus contremiſcant & reformident Sacerdotes, & Religioſi, qui peccata venialia tam facile deglutiunt; qui otio, curioſitati, confabulationibus indulgent; qui mortificationem carnis, coercere oculos, reprimere ſenſus negligunt; qui iugum obſervantiæ regularis vi potius coacti trahunt quam delectant; qui ſilentii, ſolitudinis, precum leges paſſim violant. Contremiſcant Sacerdotes barbatuli, calamiſtrati, cincinnati, vanuli, & ad mollitiem effeminati. Contremiſcant Epiſcopi, Abbates, Priores, & Prælati omnes, qui vineas animarum, propriæ cuſtodiæ deputatas, ſilveſcentes vepribus conſpicientes, non clamant, non urgent agricolas ad evellendas veneficas herbas, virtutum grana ſuffocantes. Manet, inquit alicubi Bernardus, tonſura, veſtis nequaquam mutata eſt, ieiuniorum regula cuſtoditur, ſtatutis horis pſallitur; verum ſub habitu Religionis animum habet ſæcularem, ſub panniis converſionis cor perverſum. Quia inquit Oſea Propheta cap. VIII. *Comederunt alieni cor eius, & ipſe neſcivit.*

XVIII. Concionatoria ſunt hæc, & aſcetica, clamabunt leviculi Sophiſtæ, & alieni a Theologo, cuius eſt controverſas opiniones reſolvere. Talia effutire illi ſolent quibus mentare (?), tricari, & cavillari in deliciis eſt. Plus me commovent, & acrioribus ſtimulis urgent pauca quæ ex divinis Scripturis curſim delibavi, quam nonnullorum Caſuiſtarum ingentia volumina, quorum lectio arida, & ſterilis mihi omnino eſt. Contra doctrina Scripturarum ſanctarum, & Patrum interpretationes, & ignita eloquia a ſomno me excitant, perterrefaciunt, & ad negotium meum agendum veluti impellunt. Faxit Deus ut bonorum operum fructus reſpondeat, ne, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

# DISSERTATIO II.

## DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBUS.

### PRÆLOQUIUM.

Septem vitia capitalia conſtant legionem illam ſane formidandam, quæ modo coniunctim, modo diviſim mortalium animas obſidet, & contrucidat, aliis inferioris nequitiæ cohortibus in ſubſidium vocatis. Capitale quippe vitium nuncupatur illud quod eſt aliorum caput, & princeps, quemadmodum caput influit in cetera corporis membra, illorumque ope indiget, & miniſterio, ut ſuis fungi officiis valeat. Magnus Gregorius *Lib. XXXI. Moral. cap.* XVII. quem S. Thomas 1. 2. *qu.* lxxxiv. *art.* 5. ſequitur, ſuperbiam extra ſeptenarium numerum ponit. Vitium illud veluti Rex eſt, ducens, & præfectus ſubditos ſeptem, nempe vitia capitalia habens, quorum miniſterio univerſam iniquitatis monarchiam regit, atque gubernat. Primum locum in hac vitiorum legione tenet inanis gloria, quam ſequuntur avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia: quæ omnia ſub principatu ſuperbiæ belligerant. Nihilo minus communiter ſuperbia ipſa, cuius ſata eſt inanis gloria, ma-

ieſta



ieſtatis claritati gratia numerum ſeptenarium loco primo ingreditur, non repugnante ipſo laudato Angelico Doctore; qui ex S. Gregorio 1. 2. *qu.* lxxxi. *art.* 2. advertit, *quod ſeptem capitalium vitiorum quinque ſunt ſpiritualia, & duo carnalia.*

Hæc quinque ſpiritualia ſcelera eo ſunt funeſtiora, eoque ſecurius animarum ſtragem & ruinam operantur, quo ſunt latentiora. Nos ſenſibus illigati vix ſpiritualium imagines formare didicimus. Facile ſcelera quæ corporeis inſtrumentis perpetrantur, agnoſcimus, & cavemus; verum ſpiritualia hæc vitia adeo ſæpe nos latent, ut exteriorum virtutum ſpecie tecta, leni inceſſu animas noſtras ingrediantur, eaque nos tamquam amicos, benevoloſque hoſpites ſuſcipimus, cum iiſdem dulciter converſamur, quin eorum inſidias & machinationes deprehendamus. Illo ipſo tempore quo ſuperbiæ aſtutias, fraudes, & ſecretiora iniquitatis arcana ſeleraſſe (?), ſuperbiæ tumore, eiuſque præſtigiis capi poſſumus, niſi valde in via Domini experrecti ſimus. Superbi, ut magis refulgeant, atque ut ſuum naneiſcantur finem, plurium virtutum larvam induunt: pietatis, liberalitatis, comitatis, affabilitatis ſpeciem ſolent præ ſe ponere diverſitate. Sagaciſſima avaritia providens tutius ſe per ea quæ iuſta ſunt, quam per iniuſta opes congeſturam, ſæpe honeſta & iuſta negotia amplectitur, & quæ videt improbari tamquam iniuſta, ut furta, rapinas, concuſſiones, hæc omnia deteſtari ſe fingit: & reipſa ob timorem opes amittendi, ſæpe declinat, & fugit eiuſmodi ſcelera.

Porro niſi Confeſſarius apprime horum capitalium criminum naturam, indolem, proprietates, & ſenſibiliſſima conſectaria penetraverit, nulla curare ratione ſuos poterit pœnitentes: immo vitia ipſa fovebit, dum excolere virtutes arbitrabitur. Superbia, inanis gloria, avaritia innumeras exteriorum virtutum formas aſſumunt. Superbi, avari, vani fundunt preces, exterioris pietatis ſimulationem præferunt, humilitatem ipſam oſtentare ſtudent, dum familiari eamdem ſuperbiæ cognoſcant. Phariſæos propter quamdam virtutis ſpeciem, ut probos habebit, in quos ceteroquin Deus maledicta intorquet. Sepulcra forinſecus dealbata, ut pietatis ſanctuaria venerabitur, atque ad myſteriorum frequentiam admittet, quæ intrinſecus vitiorum putredine diffluunt.

Quid opus eſt, inquies, ut Confeſſarii capitalium ſcelerum exactam notitiam aſſequantur? Lectione, ſtudio, mentis acumine, prudentia matura. Hæc requiruntur, ut ſint Confeſſarii *theoretici*. Verum, ut ſint Confeſſarii *practici*, ut per evangelicas virtutis ſemitas ducere animas valeant, quid illis opus eſt? Humilitate. Poſt? Humilitate. Poſtremum? Humilitate. Niſi Confeſſarii ipſi in humilitatis, mortificationis, & ſolidæ virtutis palæſtra fuerint diu exercitati, niſi ſint in propriis cordis receſſibus inveſtigandis periti, niſi ſint perſpicaces, & fortes in moderandis animi proprii motibus, coercendiſque appetitionibus, difficile pœnitentes ſuos per viam virtutum dirigent. Quid ſi Confeſſarii matronarum, magnatumque frequentia circumdati, erecto collo, & contracto ſupercilio intumeſcerent? Quid, ſi dominari in Clero, ambire honores, occupare primas cathedras anhelarent? Iſti ne ad exercendos in evangelicæ humilitatis ſchola Chriſtianos apti forent? An qui proprii animi vineam ſilveſcere permittit, alienis agris excolendis idoneus erit? Fontes velaridi, vel lutulenti limpidas ne derivabunt aquas ad irrigandos extraneos campos? Quicumque ergo animarum regimen ſuſcipiunt, prius propriam ſanctificare impenſe ſtudeant animam.

### CAPUT I.

*Quid ſit ſuperbia. Quo in ſenſu initium omnis peccati in divinis Scripturis nuncupetur.*

I. PLura de ſuperbia, eiuſque veneficis effectibus ſcripſi *Tom. I. Appar. diſſ.* 1. Verum adeo late patet flagitii huius dominatus, ut vix comprehendi oratione valeat. Idcirco, præter ibidem dicta, nonnulla adiicere lubet.

II. Hanc ſuperbiæ finitionem 2. 2. *quæſt.* clxii. tradit S. Thomas: *Eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ.* Superbia eſt omnium peccatorum graviſſimum, ut *loc. cit. art.* 6. tradit idem S. Thomas his verbis: *In peccato duo attenduntur, ſcilicet converſio ad commutabile bonum, quæ materialiter ſe habet in peccato, & averſio a bono incommutabili, quæ eſt formalis, & completiva ratio peccati. Ex parte autem converſionis non habet ſuperbia quod ſit maximum peccatorum: quia celſitudo, quam ſuperbus inordinate appetit, ſecundum ſuam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis.*

*Sed ex parte averſionis ſuperbia habet maximam gravitatem: quia in aliis peccatis homo a Deo avertitur vel propter ignorantiam, vel*



pro-

*propter infirmitatem, ſive propter deſiderium cuiuscumque alterius boni; ſed ſuperbia habet averſionem a Deo ex hoc ipſo quod non vult Deo, & eius regulæ ſubiici. Unde Boetius dicit, quod cum omnia vitia fugiant a Deo, ſola ſuperbia ſe Deo opponit. Propter quod etiam ſpecialiter dicitur Iacobi IV. quod Deus ſuperbis reſiſtit. Et ideo averti a Deo, & eius præceptis, quod eſt quaſi conſequens in aliis peccatis, per ſe ad ſuperbiam pertinet, cuius actus eſt Dei contemptus. Et quia id quod eſt per ſe, potius eſt eo quod eſt per aliud, conſequens eſt quod ſuperbia ſit graviſſimum peccatorum ſecundum ſuum genus: quia excedit in averſione, quæ formaliter complet peccatum.*

III. Graviſſimum igitur peccatum ſuperbia eſt tum ex parte averſionis a Deo, tum ex eo quod multorum criminum fons & caput eſt. Peccata quæ ſuperbia ſecum defert, exemplo primi hominis in *Enchirid. cap. xlv.* explicat S. Auguſt. inquiens: *Quamvis & in illo peccato uno, quod per unum hominem intravit in mundum, & in omnes homines pertranſiit, propter quod etiam parvuli baptizantur, poſſint intelligi plura peccata, ſi unum ipſum in ſua quaſi membra dividatur ſingula. Nam & ſuperbia eſt illic, quia homo in ſua potius eſſe quam in Dei poteſtate dilexit: & ſacrilegium, quia non credidit Deo: & homicidium, quia ſe in mortem præcipitavit: & fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanæ ſerpentina ſuaſione corrupta eſt: & furtum, quia cibus prohibitus uſurpatus eſt: & avaritia, quia plus quam illi ſufficere debuit, appetivit: & ſi quid aliud in hoc admiſſo diligenti conſideratione inveniri poteſt.*

IV. Superbia eſt omnium vitiorum periculoſiſſimum: quia & omnibus virtutibus bellum intentat, & iuſtis magnopere inſidiatur; ut acute S. Gregor. *Lib. XXXI. Moral. cap. XVIII.* exponit. *Alia vitia eas ſolummodo virtutes impetunt quibus ipſa deſtruuntur, ut videlicet ira patientiam, gaſtrimargia* (ſive gula) *abſtinentiam, libido continentiam expugnet. Superbiam autem nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra ſe erigit, & quaſi generalis, ac peſtifer morbus corpus omne corrumpit, ut quidquid illa invadente agitur, etiamſi eſſe virtus oſtenditur, non per hoc Deo, ſed ſoli vanæ gloriæ ſerviatur. Quaſi enim tyrannus quidam obſeſſam civitatem interripit, cum mentem ſuperbia irrumpit, & quo ditiorem quamque ceperit, eo in dominio durior exurgit: quia quo amplius ex virtute ſine humilitate agitur, eo latius iſta dominatur.*

V. Iuſtos præſertim aggreditur ſuperbia: quia & iuſtum Angelum, & iuſtum primum hominem impetivit, & devicit. Quare ſanctus David continenter *Pſalm. XXXV.* Deum precabatur: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* Vigilare itaque ſumma diligentia iuſti præſertim debent, ut theſaurum divinarum virtutum ab hoc infenſiſſimo, & fraudulentiſſimo hoſte cuſtodire valeant. Dum ego incredibilem huiuſce delicti nequitiam, fraudem, aſtutiam, & ſubtiliſſimas decipiendi artes lego mecum, dum victum Luciferum, proſtratum Adam, dum prima & cæleſtium ſpirituum, & generis humani lumina conſidero, totus contremiſco, deficitur animus, deficiunt verba, & qua via ultimos huiuſce ſceleris receſſus ſubire valeam, ignoro. Vulnera profundiſſima contrahimus in ipſa conceptione omnes, & nobiſcum ſenſim ſine ſenſu ſerpunt, & cum ipſa ætate ſinus ampliores ſibi aperiunt. Senium habent quaſi ætatem carnalia vitia, & frigeſcente corpore languent. Verum ſuperbia cum ipſa ætate creſcit, & quo ſeniores evadimus, eo ſuperbia iuveneſcit, & tyrannidem inſtaurat. Deus, inquiunt Patres, non cito ſuperbiæ morbum ſanat, ne, ipſa devicta ſuperbia, infelix homo ſuperbiat. Si dixerimus nos carere ſuperbia, tum magis dominatur ſuperbia; non ſecus ac infirmus, qui tum periculoſius ægrotat, cum ſe ſanum exiſtimat. Adeo, inquies, tanti ſceleris vires, & inſidias exaggeras, ut ſpem adimas de ea triumphandi, & in eiuſdem tyrannidem deſperatos conicias. Falleris. Potentiſſimi hoſtis, qui in cælo ipſo ſtragem intulit, & univerſum genus humanum trucidavit, verſutiam, dolos, & acutiſſima ſeducendi, hallucinandi, & excantandi præſtigia deſcribere quoquo modo ſtudeo, ut hinc diſcamus omnes cum timore & tremore ſalutem noſtram operari; ut intelligamus tunc præcipue vigilandum nobis eſſe, cum nos a vitiis abeſſe credimus. Lubet hæc omnia S. Auguſtini *Lib. de nat. & grat. cap. XXVII.* verbis confirmare. *Ipſam ſuperbiam, quæ & in recte factis animo inſidiatur humano, non cito Deus ſanat, pro qua ſananda illi pia anima cum lacrymis, & magnis gemitibus ſupplicant, ut eis eam ſuperandam, & quodammodo calcandam, & obterendam, dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere ſe etiam ſuperaſſe ſuperbiam, ex ipſa lætitia caput erigit, & dicit: ecce vivo. Quid triumphas? Et ideo vivo, quia triumphas. Ante tempus enim fortaſſe de illa quaſi trium-*



*triumphare delectat, cum extremæ eius umbra de illo meridie abſorbebitur, qui, Scriptura dicente, promittitur: Et educet, quaſi lumen, iuſtitiam tuam, & iudicium tuum, ſicut meridiem.*

XI. Superbia eſt & peccatum ſpeciale, & peccatum generale. Peccatum ſpeciale eſt, dum reſpicit tamquam obiectum proprium excellentiam, qua ſuperbus ſupra ceteros ſeſe extollit. Si quas dotes præ ceteris ſuperbus habeat, vel ſe habere exiſtimet: hoc omnes refert, ut ceteris ſupereminent, vel ſupereminere videatur. Hinc ſuperbia ab inani gloria diſtinguitur; quia hæc tendit in excellentiam famæ, & gloriæ tamquam in obiectum proprium: homo quippe vanus in hominum fama & prædicatione ſuam collocat præſtantiam. Diſtinguitur quoque ſuperbia a præſumptione, quæ verſatur circa opus arduum, & excellens, ut infra clarius dicetur.

VII. Quæſt. unica. *Quæ ſunt ſuperbiæ ſpecies?* Reſp. Quatuor 2. 2. *qu.* CLXII. *art.* 4. enumerat ex S. Gregorio S. Thomas. 1. Æſtimare bonum a ſe ipſo habere. 2. Sibi datum deſuper, credere pro meritis accepiſſe. 3. Iactare ſe habere quod non habetur. 4. Deſpectis ceteris appetere ſingulariter videri habere quod non habetur. Prima ſpecies igitur eſt, quando aliquis exiſtimat, aut ita ſe gerit, ac ſi a ſe ipſo haberet bona ſive corporis, ſive animæ, ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, quæ a Deo reipſa habet, iuxta illud Davidicum: *Qui dixerunt: Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra a nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt?* Pſalm. XI. Altera eſt cum quis agnoſcit quidem ſe a Deo bona habere, ſed propriis meritis illa tribuit, vel ita apud ſe exiſtimando, aut volendo ut alii ſentiant; aut opere externo ita ſe gerendo, ac ſi propriis meritis iſta comparaſſet, ut perſpicue S. Thom. *loc. cit. ad* 1. exponit. Tertia eſt dum quis ea ſibi bona arrogat quæ revera non habet, ſive opere, ſive deſiderio; aut deſiderat ut alii exiſtiment eum talia habere bona. Quarta denique eſt, dum quis, aliis deſpectis, videri ſatagit, aut cupit ſingulariter habere quod habet, & aliis ſcientia, virtute eruditione, aliiſque ſive animi, ſive corporis, ſive naturæ, ſive gratiæ, ſive fortunæ donis antecellere, & ſupra ipſos refulgere.

VIII. Duæ primæ ſpecies ſunt peccata mortalia, cum ex deliberata voluntate procedunt: tertia, & quarta ob materiæ levitatem excuſari a gravi culpa poſſunt. Si tamen gravem Dei irreverentiam, aut proximi grave damnum, vel gravem contemptum coniuncta habeant, gravia eſſe peccata certum eſt. Quis de dotibus ad regendam Eccleſiam, ad moderandos magiſtratus, ad Prælaturas exercendas neceſſariis gloriantur, qui ditiſſimos ſe ſimulant, & haberi ut tales, vafris artibus curant, ut ſua negotia promoveant, ut contractus ineant, & in locupletiſſima ampliſſimaque familia nubant, cum inopes ſint; ſi aliena reſtituere, & debita ſolvere omittant, ut vanum familiæ ſplendorem ſuſtineant; ſi divitiis, potentia, auctoritate inſoleſcant, & ad propriam excellentiam ſupra ceteros efferendam abutantur, ſpretis divinis legibus, peccant mortaliter.

IX. S. Bernardus duodecim gradus ſuperbiæ totidem humilitatis gradibus oppoſitos numerat, nempe curioſitatem, mentis levitatem, ineptam lætitiam, iactantiam, ſingularitatem, arrogantiam, præſumptionem, defenſionem peccatorum, ſimulatam confeſſionem, rebellionem, libertatem, peccandi conſuetudinem. Qua de re lege S. Thom. *loc. cit. ad* 4. ubi hæc omnia expendit. Vividis coloribus *Lib. XXXIV. Moral. c.* XVIII. ſuperbiæ characteres depingit S. Greg. *Elatio alios ex rebus ſæcularibus, alios vero ex ſpiritualibus poſſidet. Alter namque intumeſcit auro, alter ſummis cæleſtibuſque virtutibus. Una tamen eademque res ante oculos Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diverſo amictu palliatur.* Si plura cupis, lege ibidem proximum ſermonem.

X. Hactenus de ſuperbiæ peccato ſpeciali: nunc breviter deſcribo quatuor modos quibus eſſe poteſt peccatum generale. Primo modo ſecundum cauſſam finalem, quatenus alia peccata ordinantur ad finem ſuperbiæ, qui eſt propria excellentia. Secundo ſuperbia initium, & cauſſa eſt omnis peccati, prout parit inordinatam concupiſcentiam erga bonum commutabile, quæ eſt omnis peccati proxima univerſalis cauſſa. Concupiſcentia enim eſt filia, & mater peccati, inquit *Lib. I. de nupt. & concup. cap.* XXIV. S. Auguſtinus. Concupiſcentia *peccatum dicitur ab Apoſtolo, non quod proprie, & vere in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Idque Tridentinum declarat *ſeſſ.* V. Superbia itaque primi hominis peperit filiam primogenitam, quæ concupiſcentia appellatur, quæ eſt omnis peccati mater. Ergo ſuperbia prima origo eſt, in quam omne peccatum revocatur. Tertio modo ſuperbia cauſſa peccati dicitur removendo prohibens, ideſt Chriſti gratiam, cuius ope peccatum declinatur.

Hinc multi interdum ob levem etiam ſuperbiæ motum, cui aſſenſum præbent, a Deo deſeri ſolent, & in turpia flagitia prolabuntur. Quarto denique modo ſuperbia generale peccatum dicitur ratione objectorum, in quæ veluti in propriam materiam tendit. Excellentia enim perſonæ objectum ſuperbiæ eſt. Hæc autem excellentia ex variis rebus aſſurgit: idcirco ſuperbia in perverſo celſitudinis appetitu poſita per varias res, ſeu objecta divagatur, ut hanc ſuam excellentiam conquirat.

## CAPUT II.

*Superbiæ remedium humilitas. Ejuſdem excellentia, & gradus.*

I. SI in quocumque Theologiæ argumento tractando parum aptum, & idoneum me prodidi; in hac humilitatis chriſtianæ virtute exponenda me prorſus aridum, ſterilem, & ineptum ſentio. Superbiæ morbum experior; at humilitatis exercitium ignoro. Et niſi confeſſio hæc germana & ſincera eſſet, filia ſuperbiæ, nempe veriſſima hypocriſis, foret. Hanc ergo excellentiſſimam virtutem veluti hoſpes & peregrinus deſcripturus, nihil a me ipſo promam, ſed Sanctorum documenta reſcribam.

II. Humilitas definitur a S. Thoma 2. 2. quæſt. clxi. art. v. quod ſit *virtus temperans & refrænans animum, ne immoderate tendat in excelſa*. Virtus hæc non opponitur magnanimitati: quia humilitas reprimit appetitum ne tendat in magna præter rationem rectam. Magnanimitas autem animum ad magna impellit ſecundum rationem rectam. Humilitatem Patres vocant omnium chriſtianæ religionis præceptorum compendium, ditiſſimum omnium virtutum theſaurum, totam chriſtianæ ſapientiæ diſciplinam. Hac humilitate Redemptor noſter diabolum ſuperavit, & mundum.

III. Humilitatis neceſſitatem ad æternam ſalutem aſſequendam Chriſtus ipſe ſæpe nobis declaravit *Matth. cap.* xi. inquiens: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quæ verba ſic exponit *Lib. de S. Virginitate cap.* xxxv. S. Ambroſius, inquiens: *Non ait, diſcite a me mundum fabricare, aut mortuos ſuſcitare, ſed* quia mitis ſum, & humilis corde. *O doctrinam ſalutarem! O Magiſtrum, Dominumque mortalium, quibus mors poculo ſuperbiæ propinata, atque transfuſa eſt! Noluit docere quod ipſe non eſſet, noluit jubere quod ipſe non fecerat.*

IV. Hanc autem neceſſitatem Salvator noſter *Matth.* xviii. inculcat. *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic major eſt in regno cælorum.* Ruſſus *Luc.* xviii. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Fidem Centurionis magnopere exaltavit: quia tam humiliter credidit, ut diceret: *Non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Quemadmodum clamat *Pſalm.* cxxxvii. David: *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit.* Mulier Chananæa, quod magno clamore non obtinuit, humili confeſſione aſſecuta eſt. *Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Rejectus fuit in templo Phariſæus ſuperbus, tametſi plurium bonorum operum plenus; & exauditus peccator publicanus, quia humilis. Tandem proſpectans Redemptor noſter paſſionis ſuæ tempus appropinquare, lavare diſcipulorum pedes voluit, juſſitque id præſtare ſervos quod Dominus & Magiſter peregerat. Tandem cruentum ſuum ſacrificium humilitate conſummavit. *Humiliavit ſemetipſum* (inquit Apoſtolus Philip. 2.) *factus obediens uſque ad mortem.*

V. Chriſtianæ humilitatis officia duo præcipua ſunt: unum Deo hominem ſubjicere; alterum, hominem infra ceteros homines deprimere. *Humilitas præcipue* (inquit Angelicus 2. 2. qu. clxi. art. 1.) *videtur importare ſubjectionem hominis ad Deum*, ſine quo nihil ſumus, & ſi quid ſumus, ab eo totum accepimus. *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus*: inquit Paulus. De noſtro non habemus niſi mendacium, & peccatum: reliquum omne ab eo nobis manat. *Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt*: ſcribit idem Apoſtolus *II. Cor.* iii.

VI. Alterum humilitatis officium eſt hominem ceteris hominibus ſubmittere, juxta Apoſtoli mandatum ad Philipp. ii. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* Verum cum humilitas non in falſitate, ſed veritate collocata ſit, explicandum eſt qua ratione abſque veritatis diſpendio poſſit homo, & debeat ſe infra ceteros deprimere. Hoc autem S. Thomas 2. 2. q. clxi. *art.* 3. ſapienter more ſuo declarat, inquiens: *Dicendum, quod in homine duo poſſunt conſiderari: ſcilicet id quod eſt Dei, & id quod eſt hominis. Hominis autem eſt quidquid pertinet ad defectum; ſed Dei eſt quidquid pertinet ad ſalutem, & perfectionem, ſecundum illud Oſee* xiii. Perditio tua, Iſrael, ex te eſt; ex me tantum auxilium tuum. *Humilitas autem, ſicut dictum eſt . . . proprie reſpicit reverentiam qua homo Deo ſubjicitur. Et ideo quilibet homo ſecundum id quod ſuum eſt, debet ſe cuilibet proximo ſubjicere, quantum ad id quod eſt Dei in ipſo; non autem hoc requirit humilitas ut aliquis id quod eſt Dei in ſeipſo, ſubjiciat ei quod apparet eſſe Dei in altero.*

*Nam illi qui dona Dei participant, cognoſcunt ea ſe habere, ſecundum illud, I. ad Cor.* ii. Ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis: *& ideo abſque præjudicio humilitatis poſſunt dona quæ ipſi acceperunt, præferre donis Dei quæ aliis apparent collata: ſicut Apoſtolus ad Epheſ.* iii. *dicit*: Aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus.

*Similiter etiam non hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod eſt ſuum in ſeipſo, ſubjiciat ei quod eſt hominis in proximo: alioquin oporteret ut quilibet reputaret ſe magis peccatorem quolibet alio; cum tamen Apoſtolus abſque præjudicio humilitatis dicat Gal.* ii. Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores.

*Poteſt tamen aliquis reputare aliquid boni eſſe in proximo quod ipſe non habet, vel aliquid mali in ſe eſſe quod in alio non eſt, ex quo ſe poteſt ei ſubjicere per humilitatem.*

VII. S. Auguſtinus *Serm.* xxiii. *ex Homiliis L.* duos homines inter ſe comparans, unum qui pauca & leviora, alterum qui plura & graviſſima patravit ſcelera, hæc habet: *Hic multa commiſit, & multorum debitor eſt. Ille gubernante Deo pauca commiſit. Cui deputat ille quod dimiſit, huic & iſte deputat quod non commiſit. Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita, plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum, malumque diſcernens, nondum credens in illum qui te inviſibiliter regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit: ut ſuaſor deeſſet, ego feci. Locus & tempus defuit; & ut deeſſent, ego feci. Adfuit ſuaſor, non defuit locus, ut non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam ejus cui debes & quod non admiſiſti. Mihi debet iſte, quod factum eſt, & dimiſſum vidiſti: mihi debes & tu, quod non feciſti. Nullum eſt enim peccatum quod facit homo, quod non poſſit facere & alter homo, ſi deſit Rector, a quo factus eſt homo.* Duæ itaque conſiderationes, altera Dei, altera ſui, requiruntur ad humilitatem chriſtianam concipiendam, fovendamque. In hac duplici cognitione humilitatis virtus poſita eſt. Ecquis non ſe humiliabit ad divinæ majeſtatis conſiderationem? Quis ſui ipſius animam contemplans, tanta hujus mortalis corporis mole preſſam, tot peccatis onuſtam, tot miſeriarum pondere aggravatam, tot carnalium deſideriorum fæce infectam, tot curis irretitam, tot terroribus implicatam, cæcam, curvam, infirmam, periculis expoſitam, ſuſpicionibus obnoxiam, neceſſitatibus anxiam, continenter pro vita belligerantem, & frequenter ſuccumbentem: quis hæc inquam, & mille alia ærumnarum, & calamitatum diriſſima ſua ſecum meditans, erigere caput, extollere oculos, contrahere ſupercilium auſus fuerit? Quis humiliatum, & depreſſum animum non experitur?

VIII. Verum parum prodeſſet tot rationum momentis humilitatis virtutem agnoſcere, niſi humiliatio ipſa reſponderet. Duplex ergo diſtinguenda humilitas eſt: altera mentis, animi altera: illam cognitio, hanc affectus parit. Sterilis illa, fœcunda hæc: illa doctorem, hæc executorem ſalutaremque humilitatis efficit. Illius geminæ humilitatis pulchram S. Bernardus *Serm.* xlii. *in Cant.* egregie delineat. *Eſt humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem, & humilitas quam caritas format, & inflammat; atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. Siquidem tu, te intueris intus ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione inſpiciens, & ſine palpatione dijudicans, non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortaſſe patiaris id in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed opere interim veritatis, & minime adhuc de amoris infuſione. Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter, atque ſalubriter demonſtravit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectu amore fuiſſes, voluiſſes procul dubio, quod in te eſt, eamdem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſum apud te veritatem habere cognoſcis. Sane, quod in te eſt, dixerim: quoniam plerumque non expedit innoteſcere omnibus omnia quæ nos ſcimus de nobis: atque ipſa veritatis caritate, & caritatis veritate vetamur plus velle quod obeſt agnoſcant. Alioquin ſi privato amore tui tenus detines pariter veræ te indicium veritatis incluſione, cui dubium eſt minus te veritatem diligere, cui proprium præ-*

*præſers vel commodum, vel honorem? Vides igitur non eſſe id ipſum, hominem de ſeipſo non altum tam ſapere veritatis lumine redargutum; & humilibus ſponte conſentire munere caritatis adiutum: illud enim neceſſitatis eſt, hoc voluntatis.* CHRISTUS *ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, & formam humilitatis tradens. Ipſe ſe exinanivit, ipſe ſe humiliavit, non neceſſitate iudicii, ſed noſtri caritate .... Time Deum, & noli hanc rem peſſimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim eſt reſiſtere veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquieſce Deo, & ſit voluntas ſubdita veritati, nec tantum ſubdita, ſed & devota.* Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? *At parum eſt eſſe ſubiectum Deo, niſi ſit & omni humanæ creaturæ propter Deum.*

IX. Paucis hanc evangelicam doctrinam perſtringit 2. 2. *quæſt.* clxi. *art.* 2. S. Thomas. *Cognitio propriæ defectus pertinet ad humilitatem ſicut regula quædam directiva appetitus, ſed in ipſo appetitu conſiſtit humilitas eſſentialiter. Et ideo dicendum eſt, quod humilitas proprie eſt directiva, & moderativa motus appetitus.*

X. Duodecim humilitatis gradus SS. Benedictus, Bernardus, & Thomas loco proxime citato *art.* 6. recenſent. 1. Eſt timor Dei, & æterni ſupplicii conſideratio, vitæ æternæ, & legis divinæ meditatio. 2. Abdicatio propriæ voluntatis, & ad divinam conformatio. 3. Subiectio ad maiores, & ſinceræ obedientia Prælatis, qui pervigilant quaſi rationem reddituri pro animabus noſtris. 4. Tolerantia, & patientia contumeliarum iniuriarum, quas ſive inimici, ſive falſi fratres irrogant, & benedicere maledicentibus. 5. Manifeſtatio ſincera pravarum cogitationum proprio moderatori. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini,* inquit Iacobus. Et David antea Pſal. xxxi. *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.* 6. Lubenti animo ferre abiectionem, & contemptum ſui. 7. Omnibus ſe viliorem, & inferiorem, non lingua modo, verum etiam affectu cum Davide *Pſalm.* xxi. confiteri: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* 8. Nihil agere contra evangelicam legem, & Eccleſiæ præſcripta, & proprii ſtatus regulam. 9. Linguæ refrenatio: quia *in multiloquio non deerit peccatum, & vir linguoſus non dirigetur in terra.* 10. Moderatio riſus & lætitiæ. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam; vir autem ſapiens vix tacite ridebit,* inquit Eccleſiaſtes. 11. Locutio lenis, temperata gravitate, & hilaritate, prudentiæ ſale condita, non clamoſa, ſed ſubmiſſa, iuxta monitum Eccleſiaſtici: *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terram. Idcirco ſint pauci ſermones tui .... Verba oris ſapientis gratia, & labia inſipientis præcipitabunt eum. Stultus verba multiplicat ... Sapiens in verbis ſeipſum amabilem facit; gratiæ autem fatuorum effundentur.* 12. In omni loco humilitatem præferre non ſolum animo, ſed toto corporis habitu, ut cum Davide dicere valeas: *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.*

XI. Humilitatem, chriſtianæ profeſſionis baſim & fundamentum, ex Scripturis divinis, & Patribus rudi penicillo delineavi. Quomodo tantæ virtutis officia exercere valeas, quin ad extrema aut vilitatis & deiectionis, aut tumoris & elationis declines, ſed mediam viam inter hos ſcopulos tecure perambules, fruſtra a me poſtulas inſtructionem. Sola humilitatis exercitatio, Dei gratia vivificata, ab extremis te immunem ſervabit.

## CAPUT III.

*Tres ſuperbiæ filiæ. Inanis gloria, ambitio, & præſumptio.*

I. VANAGLORIA, quæ a S. Gregorio primum vitium capitale reputatur, & ab aliis ut filia primogenita ſuperbiæ habetur, deſcribitur 2. 2. q. cxxxii. *art.* 1. a S. Thoma, quod ſit *perverſus ſeu inordinatus appetitus manifeſtationis propriæ excellentiæ.* Inquit enim: *Gloria claritatem quamdam ſignificat: unde glorificari, idem eſt quod clarificari, ut Auguſtinus dicit ſuper Ioan. ... Claritas autem, & decor quamdam habent manifeſtationem. Et ideo nomen gloriæ proprie importat manifeſtationem alicuius de hoc quod apud homines decorum videtur, ſive illud ſit bonum corporale aliquod, ſive ſpirituale. Quia vero illud quod ſimpliciter clarum eſt, a multis conſpici poteſt, & a remotis; ideo proprie per nomen gloriæ deſignatur, quod bonum alicuius devenit in multorum notitiam, & approbationem, ſecundum quod Salluſtius dicit in Catilinario:* Gloriari ad unum non eſt.

*Largius tamen accepto gloriæ nomine, non ſolum conſiſtit in multitudinis cognitione, ſed etiam paucorum, vel unius, aut ſui ſolius; dum*



*dum ſcilicet aliquis proprium bonum ſuum conſiderat ut dignum laude. Quod autem aliquis bonum ſuum cognoſcat, & approbet, non eſt peccatum: dicitur enim I. ad Corinth.* 11. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis. *Similiter etiam non eſt peccatum, quod aliquis velit bona opera ſua ab aliis approbari. Dicitur enim Matth.* v. Luceat lux veſtra coram hominibus: *& ideo appetitus gloriæ de ſe non nominat aliquid vitioſum, ſed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat; nam quodlibet vanum appetere vitioſum eſt, ſecundum illud Pſ.* iv. Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

*Poteſt autem gloria dici vana tripliciter. Uno modo ex parte rei de qua quis gloriam quærit: puta, cum quis quærit gloriam de eo quod non eſt, vel de eo quod non eſt gloria dignum, ſicut de aliqua re fragili, & caduca. Alio modo ex parte eius a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cuius iudicium non eſt certum. Tertio ex parte ipſius qui gloriam appetit, videlicet appetitum gloriæ ſuæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi ſalutem.*

II. Quando inanis gloria ſit nec ne peccatum mortale, exponit ibidem *art.* 3. S. Thomas his verbis. *Ex hoc aliquod peccatum eſt mortale, quod caritati contrariatur. Peccatum autem inanis gloriæ ſecundum ſe conſideratum, non videtur contrariari caritati quantum ad dilectionem proximi. Quantum autem ad dilectionem Dei poteſt contrariari caritati dupliciter. Uno modo ratione materiæ, de qua quis gloriatur, puta cum quis gloriatur de aliquo falſo, quod contrariatur divinæ reverentiæ, ſecundum illud Ezech.* xxviii. Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum; *& I. ad Cor.* iv. Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? *Vel etiam cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo: quod prohibetur Hieremiæ.* Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec dives in divitiis ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire, & noſſe me. *Aut etiam cum quis præfert teſtimonium hominum teſtimonio Dei, ſicut contra quoſdam dicitur Ioan.* xii. Qui dilexerunt magis gloriam hominum quam Dei.

*Alio modo ex parte ipſius gloriantis, qui intentionem ſuam refert ad gloriam tamquam ad ultimum finem: ad quem ſcilicet ordinat etiam virtutis opera, & pro quo conſequendo non prætermittit facere etiam ea quæ ſunt contra Deum. Et ſic eſt peccatum mortale. Unde Auguſtinus dicit in V. de civit. Dei .... quod* hoc vitium, *ſcilicet amor humanæ laudis*, tam inimicum eſt piæ fidei, ſi maior in corde ſit cupiditas gloriæ quam Dei timor, vel amor, ut diceret Dominus (Ioann. v.) Quomodo poteſtis credere, gloriam ab invicem expectantes, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt non quærentes?

*Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis ſit inanis, non tamen repugnet caritati neque quantum ad id de quo eſt gloria, neque quantum ad intentionem gloriam quærentis, non eſt peccatum mortale, ſed veniale.*

III. Plura ibidem in argumentorum ſolutione Angelicus docet quæ timorem incutere debeat cuique æternæ ſalutis avido. In reſponſione ad primum dicit, quod *opus virtuoſum amittit vim merendi vitam æternam, ſi propter inanem gloriam fiat, etiam ſi illa inanis gloria non ſit peccatum mortale.* In reſponſione vero ad tertium ſubdit, quod *inanis gloria dicitur, eſſe periculoſum peccatum, non tantum propter gravitatem ſui, ſed etiam propter hoc quod eſt diſpoſitio ad gravia peccata, inquantum ſcilicet per inanem gloriam redditur homo præſumptuoſus, & nimis de ſeipſo confidens. Et ſic etiam paullatim diſponit ad hoc quod homo paullatim privatur interioribus bonis.* Non modo Deo, ſed ipſis hominibus homo vanus ſe deridendum propinat: vento vanitatis huc atque illuc agitur, non ſecus ac follis. Homo glorioſus ad omnia ſeria negotia ineptiſſimus eſt. Et, quod eſt magis lugendum, vitium illud adeo familiare eſt, ut vix peccatum reputetur, & tantum non loco virtutis habeatur. Vir magnus eſt, inquiunt, doctus, eruditus, & ſingulari virtute præditus: *parum tamen vanus eſt, & glorioſus.* Parum vanus? Tanta eſt in ea vana gloria ut eiuſdem fumus vel ipſos hominum oculos percellat: & dicis, *parum vanus?* Si tumor intus ſe continere nequit, ſed foras erumpit, collige quam inflatum ſit cor, & animus coram Deo, qui intuetur corda & renes, quam ſit ventoſus.

IV. AMBITIO eſt *perverſus appetitus honoris, & dignitatis*; ut ſi ambiat officia, & dignitates, ad quas aſſequendas, vel exercendas meritis cares, & aptitudine. Tripliciter autem, inquit Angelicus 2. 2. *quæſt.* cxxxi. *art.* 1. contingit appetitum eſſe inordinatum. *Uno modo per hoc quod aliquis appetit teſtimonium de excellentia quam non habet, quod eſt appetere honorem ſupra ſuam proportionem. Alio*

modo

*modo per hoc quod honorem ſibi cupit, non referendo in Deum. Tertio per hoc quod appetitus ejus in honore quieſcit, non referendo honorem ad utilitatem aliorum. Unde patet quod ambitio ſemper ſit peccatum.*

V. Ambitio peccatum mortale eſt, 1. Cum homo finem ultimum conſtituit in honore. 2. Dum quis appetit & quærit honores dignitateſque cum damno proximi, & detrimento divini honoris; ut ſi alium impedias vere dignum a conſequenda dignitate, quam cum proximi utilitate, Deique gloria exercuiſſet. 3. Dum honor, officium, dignitas per vias illicitas comparantur; ut ſi per ſimoniam, fraudem, detractionem beneficia aſſequaris. 4. Dum quis honorem eſt qui contendit, omni titulo & aptitudine deſtitutus.

VI. Conſuetum eſt ambitionis iniquitatem tegere pallio ſervitutis præſtandæ publicæ utilitati, promovendi communis boni. Ingredere ultimos cordis tui receſſus, ubi reperies, non proximi utilitatem, ſed tuam elationem eſſe quæ te ad dignitates ambiendas impellit. Teſtimonia ambitionis tuæ ſunt in adminiſtranda dignitate diſſimulatio, amor quietis, tranquillitatis, plauſus. Animadvertit 2. 2. *quæſt.* CLXXXVII, *art.* 1. S. Thomas, quod *ſicut ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis proprio motu feratur in hoc quod aliorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis omnino contra Superioris injunctionem prædictum gubernationis officium finaliter recuſet.* Infinitus eſſem, ſi Patrum teſtimonia contra ambitioſos referre vellem. Flagitium illud univerſale eſt. Quiſque in ſuo ſtatu ambit, & quo magis homines ſunt ineptiores, eo ſunt ambitioſiores. Ille tametſi innocens ambit animarum regimen, ſaltem confeſſiones audiendo, cum ad majora aſcendere nequeat; ille Parochiam, ille Prioratum, vel Abbatiam, ille ſublimiora & pinguiora pulpita procurando. Pauci ſunt qui ab hoc ambitionis fumo immunes ſint, & nemo eſt qui ſua pallia, & pennas non habeat, quibus ſcelus contegat.

VII. PRÆSUMPTIO aut eſt de Dei miſericordia, aut de propriis viribus. De hac, ſecus de illa, nunc ſermo eſt; & definitur *appetitus inordinatus aggrediendi aliquid ſupra vires*; ut cum quis appetit exercere officium Concionatoris, Confeſſarii, Judicis, Advocati &c. dotibus neceſſariis deſtitutus. Præſumptio hæc ſoror eſt ambitionis, idcirco pauca de ea verba facio. Peccatum præſumptionis peccant illi qui conſcii ſuæ propriæ puſillanimitatis audent ſuſcipere officium imperandi; aut propriæ imbecillitatis & propenſionis ad venerem, aſſumunt onus audiendi feminarum confeſſiones, vel cum eiſdem converſari non recuſant. Qui hæc pericula, & alia ſimilia ſponte adeunt, præſumptuoſi ſunt.

§. UNICUS.

*MONITUM AD CONFESSARIOS.*

PLura de ſuperbia perſtrinxi, plurima *cit. Tom. I. Appar.* ſcripſi. Omnia tamen pauca ad remedii neceſſitatem. Caſuiſtæ non pauci de peccatis carnalibus, de gula, de luxuria fuſum habent ſermonem, de ſuperbia obiter & curſim loquuntur. Verum ne hoc ſit ut falſum, lege La-Croix *lib. II. n.* 126. *num.* 180. Hinc & Confeſſarii non pauci, & Chriſtiani communiter tanti ſceleris ignorantia ſunt deploranda tenentur. Nobile & ſplendidum reputatur ſuperbiæ vitium, & vix inter vitia non colitur. Erubeſcunt communiter, ſi procaciſſimos paucos excipias, homines honeſti de luxuria, de furto, de ebrietate, de violentia, de fraude. Verum enim vero quis eſt quem ſuperbiæ, quem vanæ gloriæ pudeat? Immo quis non gloriatur de honore, excellentia, de celſitudine? Eſt vir honoris, inquiunt communiter viri mundi, honoris nomine, non virtute parta, ſed vana & perverſa opinione ſuam ſpectrum quoddam intelligentes. Quis Chriſtianorum de ſuperbiæ crimine ſe in confeſſione accuſat? Quis Confeſſariorum interrogat, examen inſtituit, animos pœnitentium luſtrat ſcinditve? Unde hoc? Inde ſane quod exiſtiment vix reperiri in mundo chriſtiano flagitium iſtud. Raro, inquiunt, peccatum mortale ſuperbiæ occurrit. Raro occurrit? Hoc eſt crimen cujus a noſtro protoparente ex aſſe heredes inſtituti ſumus; hoc eſt omnium peccatorum principium, & caput. Ante hoc ſcelus ab omni culpa abſtinuere protoparentes noſtri. Hoc patrato, mundum univerſum iniquitas replevit. Superbia non eripit vigil honorem, non præſtat pecuniam: quid ergo furatur? Quid? Deo gloriam, Deo principatum, & thronum ſurripere tentat. An concipi quid fœdius, an quid ſceleſtius, an quid horrendius poteſt? At nos materiales & carnales vere niſi materialia, & carnalia percipimus. Præclare ſalutiſſimum humilitatis exemplar S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLXII. *art.* 6. *ad* 3. animadvertit, Deum peccata carnalia permittere, quibus ſuperbiam depri-

mat



mat puniatque. Objicit ſibi, majoraque per minus non caſtigari. Superbia criminum maximum eſt. Non ergo rite per luxuriam, quæ minus peccatum eſt, plectitur. Reſpondet, utique luxuriam inferius eſſe ſcelus; at ſimul eſt vitium fœdiſſimum, ſpurciſſimum, quod in canibus, & porcis, ut rem viliſſimam, vel ruſtici homines abominantur: idcirco in porcorum gregem detrudit Deus illos qui excelſa appetere moliuntur, audent. Graviſſimum ſcelus ſpirituale manifeſtat, & plectit per vitium carnale, tanquam per abſurdum, & manifeſtiſſimum ſupplicium; non ſecus ac Philoſophi, qui obſtinatos & pervicaces manifeſtas veritates pernegantes, & concedentes impoſſibilia occulta, reducunt ad impoſſibilia manifeſta & abſurda. Sic Deus ſuperbos ad abſurdum luxuriæ reducit aliquando quidem in remedium, aliquando in ſupplicium, & infamiam. Audi Angelicum doctorem. *Dicendum, quod ſicut in ſyllogiſmis ducentibus ad impoſſibile quandoque aliquis convincitur per hoc quod ducitur ad inconveniens magis manifeſtum; ita etiam ad convincendum ſuperbiam hominum Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia, quæ etſi ſint minora, tamen manifeſtiorem turpitudinem continent. Unde Iſidorus dicit in Lib. II. de ſummo bono ... omni vitio deterius eſſe ſuperbiam, ſeu propter hoc quod a ſummis perſonis & primis aſſumitur, ſeu quod de opere juſtitiæ, & virtutis oritur, minuſque culpa ejus ſentitur; luxuria vero carnis idem notabilis omnibus eſt, quoniam ſtatim per ſe turpis eſt; & tamen, diſponente Deo, ſuperbia minor eſt. Sed qui detinetur ſuperbia, & non ſentit, labitur in carnis luxuriam, ut per hanc humiliatus a confuſione exurgat. Ex quo etiam patet gravitas ipſius ſuperbiæ. Sicut enim medicus ſapiens in remedium majoris morbi patitur infirmum in leviorem morbum incidere; ita etiam peccatum ſuperbiæ gravius eſſe oſtenditur ex hoc ipſo quod pro ejus remedio Deus permittit ruere homines in alia peccata.*

Expergiſcimini itaque o Confeſſarii, & ſuperbiæ morbum, in omnibus filiis Adam dominantem, primum omnium inveſtigate, ſerio expendite, ſeverius diſpicite. Ideo enim tanta in mundo luxuria, quia tanta ſuperbia. An non imperitiſſimi medici illi qui, primaria, & in primis prævalente infirmitate neglecta, a qua omnium morborum radice procedunt, conſequentes dumtaxat morbos ſub examen inducunt, & illos curare ſtudent, intacta radice relicta? Radicem ergo ſuperbiæ averruncare in pœnitentibus veſtris conamini, & peſſimo vulneri humilitatis remedium diligenti ſtudio applicate. Si evangelicam humilitatem eos docueritis, ſi in eadem exercueritis & vosmetipſos, & illos, omnes incredibilem virtutis & ſanctitatis profectum comparabitis. Nolite autem præſtare nonnullis Caſuiſtis inquientibus: Non ſe accuſant Chriſtiani de hoc vitio, ergo eodem non laborant. Non ſe accuſant Chriſtiani, quod per menſes & menſes & annum perſeveraverint in peccato mortali, & diſtulerint converſionem in Deum. Ergo differre per annum pœnitentiam non eſt novum peccatum? Hallucinationes ſunt iſtæ funeſtiſſimæ, & tremendiſſimæ cæcitatis. Ut deprehendere facile poſſitis, num ſuperbia dominetur in pœnitentibus, inveſtigate, an ſint *obſtinati*. Obſtinatio enim argumentum certiſſimum, & luculentiſſimum ſuperbiæ eſt. Superbiam in Angelis conſecuta obſtinatio eſt, quæ ita adhæret ſuperbiæ, ut divelli ab ea nullo modo poſſit. Hoc ergo moliantur, & ſtudia Confeſſariorum tendant, ut evangelicæ humilitatis ſpiritum in ſuis pœnitentibus excitare ſtudeant. Si hoc aſſecuti fuerint, ſancti erunt Chriſtiani.

## CAPUT IV.

*De ſeptem filiis vanæ gloriæ.*

I. PRimogenitam ſuperbiæ diximus vanam gloriam, cujus ſeptem filias enumerat *Lib. XXXI. Moral. cap.* XXXI. S. Gregorius. Hæ autem ſunt, 1. inobedientia, 2. jactantia, 3. hypocriſis, 4. contentio, 5. pertinacia, 6. diſcordia, 7. novitatum præſumptio. De ſingulis pauca perſtringam.

II. *Inobedientia.* Peccatum inobedientiæ, inquit S. Th. 2. 2. *q.* CV. committit qui violat ex contemptu præceptum Superioris. Hæc inobedientia eſt natura ſua peccatum mortale, etiam in re parvi momenti, ſi contemptus formalis ſit. Qui enim contemnit Superiorem, Deum contemnit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit:* Luc. X. Eo tamen gravior eſt inobedientia, quo gravior eſt res præcepta, & quo ſuperior eſt qui præcipit.

III. *Jactantia* deſcribitur quod ſit *inordinata propriæ excellentiæ deprædicatio per verba*; ut ſi quis verbis ſe ſe extollat ſupra id quod eſt in ſe ſecundum veritatem, aut ſecundum quod de eo homines opinantur; quemadmodum 2. 2. *quæſt.* CXII. *art.* 1. docet S. Thomas, ubi doctrinam Pauli Apoſtoli *II. Cor.* XII. refert. *Parco, ne quis exiſtimet me ſupra id quod videt in me, aut aliquid audit.*

*dit ex me*. Peccatum veniale eſt, ſubdit *ibidem art.* 2. Angelicus, quando quis ex mera vanitate de ſe talia iactat, quæ neque ſunt contra Deum, neque contra proximum. Eſt vero peccatum mortale, ſi quid iactet contra Dei gloriam, aut contra proximi caritatem. Iactantia de peccato mortali ſimiliter peccatum mortale eſt: puta, iactantia de fornicatione, non ſolum humilitati, verum etiam caſtitati adverſatur. Quare in confeſſione exprimenda eſt peccati ſpecies de quo quis ſe iactavit, & ſcandalum audientibus illatum. Si quis iactavit ſe rem habuiſſe cum tali fœmina, aut laudavit alterius peccatum, hæc omnia manifeſtanda in confeſſione ſunt.

IV. *Hypocriſis*. Eius picturam exhibet 2. 2. *quæſt.* XCI. *art.* 4. S. Thomas his verbis. *In hypocriſi duo ſunt, ſcilicet defectus ſanctitatis, & ſimulatio ipſius. Si ergo hypocrita dicatur ille cuius intentio fertur ad utrumque, ut ſcilicet aliquis non curet ſanctitatem habere, ſed ſolum ſanctus apparere, ſicut conſuevit accipi in ſacra Scriptura; ſic manifeſtum eſt quod eſt peccatum mortale. Nullus enim totaliter privatur ſanctitate, niſi per peccatum mortale.*

*Si autem dicatur hypocrita ille qui intendit ſimulare ſanctitatem, a qua deficit per peccatum mortale, tunc quamvis ſit in peccato mortali, ex quo privatur ſanctitate, non tamen ſemper ipſa ſimulatio eſt ei peccatum mortale, ſed quandoque veniale. Quod diſcernendum eſt ex fine. Qui ſi repugnet caritati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale; puta, cum ſimulat ſanctitatem, ut falſam doctrinam diſſeminet, vel ut adipiſcatur eccleſiaſticam dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem conſtituit. Si vero finis intentus non repugnet caritati, erit peccatum veniale; puta, cum aliquis in ipſa fictione delectatur: de quo dicitur IV. Ethic. quod magis videtur vanus quam malus: eadem enim ratio eſt de mendacio, & ſimulatione.*

*Contingit tamen quandoque quod aliquis ſimulat perfectionem ſanctitatis, quæ non eſt de ſalutis neceſſitate: & talis ſimulatio nec ſemper eſt peccatum mortale, nec ſemper eſt cum peccato mortali.*

V. Qui alios per ſalutis viam ducunt, ut Concionatores Dei verbum annuntiantes in peccato mortali, hypocriſeos flagitio inquinantur. Hoc enim erat peccatum Scribarum, & Phariſæorum, quos Chriſtus redarguit Luc. XI. *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis*. Et rurſus Matth. XXIII. *Væ autem vobis, Scribæ, & Phariſæi, qui clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare*. Hæc ipſa maledictio intorta eſt contra Concionatores qui in miniſterio verbi ſanam doctrinam annuntiantes, eamdem morum pravitate labefactant: qui clavem ſcientiæ ferentes, & viam ſalutis aperientes verbis, flagitioſis operibus nec ipſi intrant, nec introeuntes ſinunt intrare. Quare S. Thomas in *IV. diſt.* XIX. *q.* II. *art.* 2. *ad* 4. docet, *Prædicatorem; & Magiſtrum Theologiæ peccare mortaliter, ſi notorio peccato ſint obnoxii, ſi vero occulto, Prædicatorem peccare letaliter, ſi in eo ſtatu prædicare audeat, non autem Magiſtrum Theologiæ, ſi Theologiam profiteatur*. Hanc eamdem doctrinam confirmat Caietanus in *III. Part. quæſt.* LXIV. *art.* 6. *ad* 1. Et ſane quis a graviſſimo ſcelere excuſabit Concionatores, verius Declamatores illos qui e publico ſuggeſtu ſolemni ritu ſanctam Dei legem annuntiant, eiuſdem ſanctitatem extollunt, invehuntur adverſus inſanientis mundi oblectamenta, theatrales ludos, comœdias, pompas, luxum, & faſtum: & poſtea illi ipſi & ludis, & theatris, & ceteris illecebris operam navant: qui in pulpito unam ſuſtinent perſonam, & in civili ſocietate alteram gerunt? Omnia maledictionis iacula quæ contra Phariſæos hypocritas Chriſtus intorſit, in horum pſeudoconcionatorum caput recidunt. Unde hodie tam exiguus verbi divini fructus, niſi ex plurium Concionatorum perverſa hypocriſi?

VI. Hypocriſis rei ſunt innumeri Chriſtiani, & Eccleſiaſtici, qui in minimis ſunt religioſiſſimi, & quam ſuperſtitioſi, qui vix vino linguam intingere audent, & eam in ſanguinem honoris, inquit Optatus Milevitanus, proximi famam depopulando, immergere minime perhorreſcunt: qui quaſdam exteriores obſervantias ſilentii, abſtinentiæ, devotionis &c. ad unguem obſervant, & graviſſima mandata, quæ ſpectant iuſtitiam, æquitatem, miſericordiam, ſinceritatem, caritatem, conculcant. Et hoc vitio maxime laborabant Phariſæi hypocritæ. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis* &c. Legatur integrum XXIII. caput S. Matthæi adverſus hypocritas.

VII. *Contentio eſt impugnatio veritatis cum altercatione verborum*. Ex genere ſuo peccatum letale eſt. Frequenter contentionem improbat Apoſtolus, *Nolite contendere verbis: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium*: II. Timoth. II. *Si quis videtur*

*inter*



*inter vos contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*: I. Cor. XI.

VIII. Plura de contentione 2. 2. *quæſt.* XXXVIII. *artic.* 1. & *lect.* III. *in cap.* II. *Epiſt.* II. *ad Timoth.* docet S. Thomas. Eſt peccatum mortale contentio, ſi falſitati in re gravi faveat cum impugnatione veritatis, & confidentia clamoris. Peccant quoque letaliter illi qui veritatem, qui doctrinam, ſive ad fidem, ſive ad mores attinentem, impugnant falſis ratiunculis, & diſtinctiunculis ducti, quia ſemel adoptarunt opiniunculas contrarias, cane & ſanguine faventes. Peccant letaliter, inquit Merbeſius *Sum. Chriſt. Part. II. q.* VII. Sacerdotes qui quorumdam placitis imbuti, regulas ad rite adminiſtrandum ſacramentum pœnitentiæ, a Sancto Carolo Borromæo ex Patribus excerptas, & Conciliaris propoſitas, contentioſo animo impugnant. In hoc quoque crimen incurrunt qui ita verbis contendunt, ut inde veritatis ſubverſio ſequatur, aut ſubſequi probabiliter timeatur.

IX. Peccant letaliter plures ſcholi, qui e ſcholis abeuntes, nihil fere præter inſanabile diſputandi cacoethes retulerunt; nihilominus ſanioris doctrinæ præceptiones, regulaſque ſirmiores in diſputationem magno clamore adducunt, & frigidis quibuſdam diſtinctiunculis ineptiſſimas opiniones propugnare contentioſo animo audent: qui placitis ſemel e ſchola delatis pugnaciſſime adhæreſcunt, quin ſerio & debito ſtudio inveſtigare curaverint veritatem: ſed nimia confidentia ſolius proprii ingenii acumine, alti ingenti verborum clamore reportare de adverſario victoriam, & ex victoria inanem gloriam unice affectant.

X. Peccant quoque graviter tabulæ forenſes, advocati, procuratores, litigatores improbi, qui adverſam partem diuturna litis vexatione defatigatam a proſequenda lite deterrent: qui inconditio clamore, & importuna garrulitate extorquere a iudice ſententiam admituntur.

XI. Contentio, quæ in confutatione falſitatis conſiſtit cum debito acrimoniæ modo nullum eſt peccatum, immo laudabile ſtudium, ſi veritas propugnata fidei aut morum doctrinam promoveat, & noxias opiniones refellat. Præ oculis habenda regula eſt quam *tract.* VIII. *in Ep. I. S. Ioann.* Auguſtinus tradit. *Dilige, & quodvis fac: ſive taceas, dilectione taceas: ſive clames, dilectione clames: ſive emendes, dilectione emendes: ſive parcas, dilectione parcas. Radix ſit intus dilectionis. Non poteſt de iſta radice niſi bonum exiſtere*. De rebus vanis & inutilis ad ſalutem contendere, & ad ſolam famam, vanamque gloriam captandam inſtituere diſputationes, peccato non caret. Quamobrem inquit *II. ad Timoth.* II. Apoſtolus: *Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites: ſervum autem Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, & cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.*

XII. *Pertinacia* eſt *adhæſio propriæ ſententiæ, pluſquam oportet, dum quis in ea perſeverat contra agnitam veritatem*, inquit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CXXXVIII. *artic.* 2. Mortalis eſt, dum, manifeſtata doctrina fidei vel morum, eidem reſiſtit, & in proprio errore obſtinate perſiſtit. Graviter proinde peccant illi qui damnatas a ſummo Pontifice propoſitiones in materia fidei vel morum, aut aperte tuentur, aut ſuſcipere ſimulant damnationem, ſed interim captioſis commentis, & diſtinctiunculis eludere, cavillari, extenuare, & in nihilum redigere exquiſita arte pertentant. Graviter quoque peccant mercatores, & alii quibus etſi ſæpius inculcatum a gravioribus Theologis, & Prædicatoribus ſit, licitum non eſſe quidquam ſupra ſortem in mutuo exigere abſque vero & reali titulo, quotidie tamen ex pecuniis mutuo traditis proventum faciunt: quia præferunt opiniones quæ propriæ cupiditati faveant, tametſi audiant eiuſmodi opiniones Scripturis divinis, SS. Patribus, & Theologorum doctiorum ſententiæ adverſari.

XIII. *Diſcordia* in voluntatum contrarietate ſita eſt. Quemadmodum concordia, quam caritas parit, multorum animos in unum coniungit ob bonum Dei, & proximi; ita diſcordia, quam parturit inanis gloria, animos dividit circa bonum divinum, & proximi, in quo ex præcepto divino tendere obligantur. Diſcordia itaque eſt voluntatum, non opinionum diſſenſio. Diſcordantes vero in varietate ſententiarum, ſalva unitate voluntatum, in diſcordiæ flagitium non labuntur, niſi talis diſſenſio vel cum maiori quam par eſt pertinacia coniuncta ſit, vel circum ea ſit quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, puta circa fidem, vel bonos mores. Lege plura apud S. Thomam 2. 2. *quæſt.* XXXVII. *art.* 1. ubi *ad* 2. advertit, aliquando facere diſcordiam non modo peccatum non eſſe, ſed etiam laudabilem, quando nempe tollitur mala concordia. *Cauſare diſcordiam, per quam tollitur mala concordia, ſcilicet in mala voluntate, eſt laudabile. Et hoc modo laudabile fuit quod Paulus poſuit diſſenſionem inter eos qui erant concordes in malo. Nam Dominus de ſe dicit Matth.*

*x. Non*

pauperum, & mercenariorum debita ſolvere recuſant, & inferiores defatigant, opprimunt oneribus, iniquis pecuniarum, vel operum, & laborum exactionibus.

XIV. *Obduratio contra miſericordiam* eſt illa tenacitas qua cor avari ſuper pauperum miſeriis inſenſibile eſt, & induratum, quin ullo modo emolliatur ad eorum inopiam ſublevandam. De *furto*, de *homicidio*, *Tom. IV.* in Decalogum: de *uſura Tom. VII.* de *ſimonia* ſupra actum eſt.

## CAPUT VI.

*De luxuria, & gula.*

*Laxæ* PP. Viva, Buſembaum, *& aliorum opiniones refelluntur.*

I. HÆC duo ſola vitia inter ſeptem capitalia carnalia ſunt, & ita ſibi propinqua, ut dixerit S. Auguſtinus: *Venter, & genitalia ſibi vicina ſunt, & pro ordine membrorum, ordo quoque vitiorum exiſtit.* De luxuria ſole ſcripſi *Tom. IV. in 6. Decal. mandatum*: idcirco pauca hic obiter delibo. Luxuria eſt *inordinatus appetitus voluptatis veneræ*. Peccatum mortale eſt genere ſuo. Ne actum agam, conſule *loc. cit. Lib. VIII.* ubi reperies monſtroſa laxitatis paradoxa quæ nonnulli Caſuiſtæ in hac lutulenta materia excogitarunt.

II. *Gula* ſoror luxuriæ, aut verius dixerim mater, definitur *inordinatus edendi, & bibendi appetitus*, ut ex S. Thoma 2. 2. *qu.* CXLVIII. *art.* 1. colligimus. Appetitus ille ſemper perverſus eſt, dum finem in delectatione, & voluptate conſtituit. In gulæ favorem docuerunt Ioannes Sanchez, Eſcobarius, Moya, & alii, ut refert P. La-Croix *Lib. V. n.* 300. licitum eſſe intendere delectationem quæ capitur ex cibo, vel potu moderato. Sed hæc theſis eſt 8. damnata ab Innocent. XI. *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem &c.* Hæc proſcriptio, ſubdit *ibid.* P. La-Croix, *reddit opinionem illam difficilem.* Ita ne vero? Difficilem? Eccur difficilem? Ante damnationem erat difficilis, quia confuſis diſtinctiunculis implicabatur. At poſt damnationem facilis evaſit: quia intelligitur vel ab ipſo vulgo damnata: & hac ratione ſublata eſt omnis difficultas, quam ante prohibitionem obtrudebant citati Auctores.

III. Neque tamen hinc inferas velim, voluptatem, & ſaporem cibi & potus peccatum eſſe. Quoniam, inquit *Lib. IV. contr. Iulian. cap.* XIV. S. Auguſtinus, *non ſolum cibo, ſed etiam cibi ſapore indiget infirmitas corporis.* Immo ſapor eſt medium quod cibi ſumptionem facilem reddit. Perverſio autem appetitus in hoc ſita eſt, quod hoc medium tranſmutet in finem. Quare qui comedunt & bibunt ob ſolam voluptatem, peccant ut minus venialiter, quod pervertant naturæ ordinem intentum in cibo & potu, qui eſt vitæ ſuſtentatio, non voluptas. Similiter peccant venialiter qui propter ſolam voluptatem audiunt muſicam, olfaciunt roſam, proſpectant flores; quidquid in oppoſitum opinetur P. Viva in commentariis in dictam *theſim* 8. n. 6. ubi hæc habet. „ Verum quidem eſt quod „ poſſit PROPTER SE intendi directe de„ lectatio aliqua, quæ reperitur in ludo v. g. „ in olfactu floris, in auditione muſicæ, & „ aliis actibus moraliter indifferentibus. " Hæc P. Viva opinatio non modo damnata eſt in præfata theſi, ſed evidenter falſior & laxior. Voluptas cibi & potus neceſſaria eſt ut medium ad naturæ ſuſtentationem: & nihilominus qui illam *propter ſe directe* appetit, peccat ſaltem venialiter. Voluptas ludi, olfactus roſæ, & muſicæ non eſt neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem. Numquid homo ſine ludo, ſine muſica, ſine olfactu roſæ vivere nequit? Ergo voluptas captata ex ludo, muſica &c. *per ſe directe* damnabilior eſt quam voluptas capta ex cibo, & potu. Ratiuncula quæ ab Auctore iſto obtruditur, nimis vana eſt. Huiuſmodi voluptas, inquit, ludi, muſicæ, olfactus roſæ ad hoc ipſum inſtituta eſt ut animum relaxet: & ideo *propter ſe directe intendi poteſt*. Voluptas cibi inſtituta eſt ob conſervationem individui; & voluptas rei uxoriæ propter conſervationem ſpeciei. Propterane intendi propter ſe directe poteſt? Ineptirem ipſe, ſi fuſius laxam opinationem labefactare pergerem.

IV. Gula eſt peccatum mortale, quatenus *inordinatio concupiſcentiæ accipitur in gula ſecundum averſionem a fine ultimo*, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* CXLVIII. *art.* 2. Homines enim gulæ dediti, ventri ſuo, tamquam ultimo fini, famulantur, ut *Rom.* XVI. inquit Apoſtolus. *Huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri*. Item ad Philip. III. *Quorum Deus venter eſt*. *Si vero in vitio gulæ*, inquit idemmet Doctor, *intelligatur inordinatio concupiſcentiæ ſecundum ea quæ ſunt ad finem, utpote quia nimis concupiſcit delectationes ciborum, non tamen ita quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, eſt peccatum veniale.*

V. Tribuitur gula in ſpecies duas, nempe comeſſationem ſeu crapulam, & *ebrietatem*. Illa in immoderata cibi, hæc in nimia potus ſumptione conſiſtit. Utraque ex ſuo genere eſt peccatum mortale. *Homicidia, ebrietates, comeſſationes &c. qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*: ad Galat. V.

VI. Quis ſibi in animum induceret, Caſuiſtas reperiri qui contra tam manifeſta Scripturarum oracula ſcribere auſi eſſent, comeſſationem, qua quis, ſecluſo ſcandalo, & gravi ſanitatis damno, ſe cibo, & potu ingurgitat uſque ad vomitum, & reipſa ad vomitum ſe provocat, ut iterato epulari poſſit, non eſſe peccatum mortale? Et tamen ſcribit P. Herman. Buſembaum *Lib. V. cap.* III. *dub.* 5. apud P. Claudium La-Croix *num.* 299. *pag.* 43. „ Hinc *probabile eſt*, quod docet *Navar.* „ *Tol.* &c. & non repugnat *Laymanus*, ſe„ cluſo ſcandalo & aliis, veniale tantum eſſe „ *uſque ad vomitum* ſe cibo & potu IMPLE„ RE. Idque etiam, ſi quis VOMAT, „ UT ITERATO POSSIT BIBERE. " Hanc comeſſationem, & potum vel ipſi Eſcobar, Sa, aliique multi ſimiles fatente ibidem Buſemb. defendunt eſſe mortalem.

VII. Quam ſit deteſtabilis recenſita opinio P. Buſembaum, & aliorum, Scripturæ ſanctæ patefaciunt. Iſaias cap. V. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum*. Evangeliſta Lucas cap. VI. *Væ qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*. Iterum cap. XXVIII. Iſaias: *Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiumque, ita ut non eſſet ultra locus*. Porro in divinis Scripturis Τὸ *Væ* æternum ſupplicium perhibet. *Væ* (inquit Beda in cap. XXIII. Prov.) *æternum interitum nominat*. S. Hieronymus in *cap.* V. Amos: *Væ pœnarum ultimum eſt*. S. Auguſtinus, ſive potius S. Cæſarius *ſerm.* CCXCIV. ſcribit. *Frequenter uſque ad vomitum ingurgitare ſe non erubeſcunt .... Peiores animalibus iudicandi ſunt. Cum enim animalia amplius quam eis opus eſt, bibere nolint, illi & duplum, & triplum, quam eis oportet, potum accipiunt. Et unde tribus aut quatuor diebus refectionem rationabilem potuerant habere, uno die cum grandi peccato ſuo contendunt perdere potius quam expendere. Atque utinam vel potum tantummodo perderent, & non etiam ipſi perirent.*

VIII. S. Baſilius in *Aſcet. cap.* I. hæc habet. *Ventrem plus æquo implere, & cibis aggravare maledictione dignum eſt, dicente Domino: VÆ qui ſaturati eſtis.* Sed quid ultra Patrum teſtimonia congero? Vel ipſi ethnici Scriptores hanc comeſſationem & potum, ad vomitum uſque, in Romanis helluonibus tamquam corruptelam deteſtabilem, a qua bruta ipſa abhorrent, improbabant. Eſt enim gula, ut dixi, omnium nefandorum criminum mater. Idcirco contra Sodomam Ezechiel clamat cap. XVI. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia.* Quinque exceſſus gulæ communiter Auctores ex S. Gregorio recenſent hoc verſu comprehenſos,

*Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.*

IX. Gulæ filias, & mala inde manantia enumerat 2. 2. *quæſt.* CXLVIII. *art.* 6. Angelicus Doctor his verbis. *Gula proprie conſiſtit circa immoderatam delectationem quæ eſt in cibis, & potibus: & ideo illa vitia inter filias gulæ computantur quæ ex immoderata delectatione cibi & potus conſequuntur.*

*Quæ quidem poſſunt accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis. Ex parte autem animæ quadrupliciter. Primo quidem quantum ad rationem, cuius acies hebetatur ex immoderatione cibi, & potus: & quantum ad hoc ponitur filia gulæ* hebetudo ſenſus *circa intelligentiam, propter fumoſitates ciborum perturbantes caput; ſicut e contrario abſtinentia confert ad ſapientiæ perceptionem, ſecundum illud Eccl.* II. Cogitavi in corde meo abſtrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam. *Secundo quantum ad appetitum, qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi, & potus, quaſi ſopito gubernaculo rationis: & quantum ad hoc ponitur* inepta lætitia: *quia omnes aliæ inordinatæ paſſiones ad lætitiam & triſtitiam ordinantur, ut dicitur in II. Ethic. ..... Et hoc eſt quod dicitur III. Eſdræ* III. *quod* vinum omnem mentem convertit in ſecuritatem, & iucunditatem. *Tertio quantum ad inordinatum verbum: & ſic ponitur* multiloquium: *quia, ut Greg. dicit in Paſt.* .... niſi gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, dives ille qui epulatur quotidie ſplendide dicitur, in lingua gravius non arderet. *Quarto quantum ad inordinatum actum: & ſic ponitur* ſcurrilitas, *id eſt iocularitas quædam proveniens ex defectu rationis, quæ, ſicut non poteſt cohibere verba, ita non poteſt cohibere exteriores geſtus. Unde ad Ephеſ. V. ſuper illud,* Aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, *dicit Gloſſ. quod* a ſtultis curialitas dicitur, id eſt iocularitas, quæ riſum movere ſolet. *Quamvis poſſit utrumque horum referri ad verba in quibus contingit peccare, vel ratione ſuperfluitatis, quod pertinet ad multiloquium, vel ratione inhoneſtatis, quod pertinet ad ſcurrilitatem.*

*Ex parte autem corporis ponitur immunditia, quæ poteſt attendi ſive ſecundum inordinatam emiſſionem quarumcumque ſuperfluitatum, vel ſpecialiter quantum ad emiſſionem ſeminis. Unde ſuper illud ad Epheſ. 2.* Fornicatio autem, & omnis immunditia *&c. dicit Gloſſ. . . . . ideſt incontinentia pertinens ad libidinem quocumque modo.*

X. Plura adverſus gulam ſcripſi *Tom. V. Lib. II. de ieiunio*. Item in aliis duobus operibus *La Quareſima appellante*, & *La diſciplina antica e moderna* &c. Si plura cupis, lege *loc. cit.*

## CAPUT VII.

### *De ebrietatis peccato.*

Buſembaum, Leſſii, La-Croix, *& aliorum laxæ opiniones refelluntur.*

I. EBrietatis finitio eſt, *quod ſit exceſſus in potando uſque ad violentam uſus rationis privationem*. Exceſſus iſte in potu uſque ad violentam uſus rationis privationem debet eſſe voluntarius, ut peccatum ſit. Quoniam, ut 2. 2. *qu.* cl. *art.* 2. docet S. Thomas, contingere poteſt quod aliquis *neſciat potum eſſe immoderatum, & inebriare potentem; & ſic ebrietas poteſt eſſe ſine peccato. Alio modo contingit quod aliquis percipiat potum eſſe immoderatum; non tamen æſtimet inebriare potentem; & ſic ebrietas poteſt eſſe cum peccato veniali. Tertio modo poteſt eſſe quod aliquis bene advertat potum eſſe immoderatum, & tamen magis vult ebrietatem incurrere quam a potu abſtinere; & talis proprie dicitur ebrius.... Et ſic ebrietas eſt peccatum mortale.*

II. Malitia igitur ebrietatis in hoc ſita eſt, ut homo ſciens, & volens bibat cum tanto exceſſu, ut uſu rationis ſe ſe privet. Dicitur hæc privatio *violenta*, ut diſtinguatur a privatione naturali uſus rationis, quæ a ſomno inducitur. Contra ebrietatis ſcelus clamant Scripturæ ſanctæ, & mortem æternam minantur. Iſaias cap. v. *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperum, ut vino æſtuetis.* Lucæ xxi. Chriſtus Dominus inquit: *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.* S. Paulus Apoſtolus I. Cor. vi. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi . . . . regnum Dei poſſidebunt.*

III. Ebrietas eſt peccatum mortale ex genere ſuo, ut *lect.* iii. *in cap.* xiii. *Epiſt. ad Rom.* S. Thomas docet, inquiens *Eſt conſiderandum, quod ebrietas ex ſuo genere eſt peccatum mortale, cum ſcilicet homo ex propoſito inebriatur, quia videtur præferre delectationem vini integritati rationis.* Idem repetit *lect.* iii. *in cap.* v. *I. Cor.* Doctrinæ S. Thomæ ſubſcribunt communiter Theologi omnes. Tempus me deficeret, ſi Patrum teſtimonia recenſere vellem contra ebrietatem. Pauca delibabo.

IV. S. Baſilius omnium Græcorum Patrum eloquentiſſimus *homil. contr. ebriet.* hæc ſcribit: *Qua in re, dic homo miſer, differs a brutis? Nonne rationis munere? . . . . . Hoc igitur te rationis lumine per ebrietatem privans, inter beſtias ratione carentes annumerari poteris, ſimiliſque illis videri: immo & beſtiis longe peiores eos exiſtimaverim qui ab ebrietate ſuperantur . . . . Nec ſolum eo peiores brutis, quod mente inſani, aut ebrii, ſed etiam quod ſenſibus longe infra illa deficere videantur. Quod, quæſo, animal ita viſu auditurve, atque ebrius homo, debilitatur? nonne familiariſſimos interdum ignorant? Alienis vero ſæpe ut domeſticis congrediuntur &c.*

V. S. Ambroſius inter Latinos Patres doctiſſimus & eloquentiſſimus *Lib. de Elia & ieiunio cap.* xvii. ſcribit: *Quid autem oſtentationes potantium loquar? Quid memorem ſacramenta quæ violare nefas arbitrantur. Bibamus, inquiunt; pro ſalute Imperatorum; ut qui non biberit, fiat reus indevotionis. Videtur enim non amare Imperatorem qui pro eius ſalute non biberit. O piæ devotionis obſequium! Bibamus pro ſalute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum, ſanitate: & hæc vota ad Deum pervenire iudicant ſicut illi qui calices ad ſepulcra Martyrum deferunt, atque illic ad veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri poſſe non credunt. O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium putant, qui æſtimant illis ebrietatem placere qui ieiunio paſſionem ſuſtinere didicerunt! . . . . . Quid retexam auditum mihi non poculi, ſed profluvi genus, quo in ora hominum tamquam per fiſtulas, aut canales vina funduntur? Hos homines, an utres verius exiſtimaverim? Et tamen ipſi utres, niſi moderata transfuſio ſit, ſæpe rumpuntur. Per cornu etiam fluenta in fauces vina hominum ducuntur, & ſi quis reſpiraverit, commiſſum flagitium, ſoluta acies, loco motus habetur. Aqua decurrens a Libano cautes rupeas ſolvit, quomodo mollibus putant nequaquam nocere viſceribus vinolentorum impetus fluentorum?*

VI.



VI. Hinc infertur, quam laxæ ſint opiniones de ebrietate plurium recentiorum. P. Buſembaum *Lib. V. cap.* iii. *dub.* 1. *art.* 2. apud P. La-Croix *num.* 308. aberrat a veritate in ipſa ebrietatis definitione, inquiens: *Malitia ebrietatis plene & perfecte in eo conſiſtit quod quis ſine iuſta & gravi cauſſa tantum ob voluptatem, aut ingluviem ſciens & volens privet ſe uſu rationis.* Definitio hæc ad laxitatem viam aperit, & Patrum doctrinæ adverſatur. Vidimus ex S. Ambroſio plures abundantiore potu ſe ſe ingurgitare pro ſalute Imperatoris, Regis, Principis. Et qui non potant, amare, & revereri Imperatorem non videntur. Alii pro ſalute exercitus, alii pro comitum felicitate, alii pro filiorum ſanitate, alii ut notam ſingularitatis declinent, alii connivendi gratia, alii, ne amicos contriſtent, inebriantur. Quoniam, inquit in *cap.* 1. *ad Tit.* Hieronymus poſt Ambroſium, *accuſationis occaſio eſt adiuratum per Regem frequentius non bibiſſe.* Ebrietates illæ iuxta *P. Buſembaum* non erunt plenæ & perfectæ, quia voluptatis cauſſa non ſunt captatæ.

VII. Verum laxiora ſunt conſectaria, quæ ex ſua finitione eruit P. Buſembaum. Qui ſe inebriat, inquit, *abſque iuſta & gravi cauſſa*. Occurrit ergo iuſta & gravis cauſſa ebrietatis admittendæ? Quidni? reponit ille ibidem his verbis: *Non eſt peccatum inebriare ſe ex præſcripto medicorum, ſi aliter ſanitas recuperari non poſſit. Syl. Con. ist. Laym.* An in Hypocrate, vel Galeno præſcripta occurrit hæc ebrietatis medicina? Supremus medicus divinus, in cuius manu ſalus & vita hominis eſt, ebrietatem damnat, & execratur: & præſcribere illam medici audebunt? Largiorem potum ad vomitum excitandum ſumi poſſe ſanitatis cauſſa S.Th. 2. 2. q.cl. *art.*2. *ad* 3. docet, excluſa ebrietate. *Nec tamen ad vomitum procurandum requiritur quod ſit potus inebrians: quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum cauſſat: & ideo propter hanc cauſſam non excuſaretur aliquis ab ebrietate.* Sic Eccleſiæ Doctor. At Doctores moderni nonnulli oppoſitum ſentiunt. Verum ab ulteriori confutatione abſtineo, quod caſus iſte chimæricus ſit. In quo, quæſo, medicorum libro reperit P. Buſembaum, aliique, morbum aliquem cui curando neceſſaria ebrietas ſit? P. Claudius La-Croix ibid. *num.* 311. plures recenſet Auctores, prædictam opinationem propugnantes: & poſtea *num.* 312. ſubdit ipſe, non eſſe obligationem ſe inebriandi: quia, inquit, *contraria opinio, quod id non liceat, eſt probabilis.* Hoc unum deerat quod doctrina Doctorum Eccleſiæ neque ut probabilis admitteretur. At non modo probabilis, ſed unice vera ſententia S. Thomæ.

VIII. P. La-Croix ibid. *num.* 313. adiicit. „ Ad morbum gravem, etiam non letalem, „ curandum, *aut cavendum* licitam eſſe inebriationem, docent multi cum *Gobat* a *n.* „ 15. ſi aliter curari, aut caveri nequit. „ Hæc opinio longe laxior eſt præcedenti. Etiam ad morbum non letalem, non modo curandum, ſed etiam *præcavendum*, licita eſt inebriatio? Verum hæc doctrina falſa, & pernicioſa eſt, ut mox evidenter demonſtrabo.

IX. Pergit ibidem P. Buſembaum, inquiens: *Non item eſt peccatum* (ſe inebriare) *ſi quis cogatur intento enſe. V. Leſſ. Lib. IV. cap.* iii. *diſt.* iv. *num.* 37. *Azor. Reg. in Baldell.* Ebrietas eſt vitium capitale: eſt ex genere ſuo peccatum mortale, ut Theologi docent. Et hæc ebrietas licita erit ad mortem comminatam vitandam? Licitum ergo erit fornicari, adulterare, peierare ad mortem evitandam? Sunt hæc abſurda, univerſæ antiquitati inaudita. Hanc P. Buſembaum, & aliorum opinionem improbavit S. Auguſtinus *ſer.* ccxxxii. ſeu verius S. Cæſarius *ſer.* ccxcv. in append. S. Auguſtini, his verbis. *Solent ebrioſi ita ſe excuſare, ut dicant: Perſona potens me coegit ut amplius bibam: & in convivio Regis non potui aliud facere. Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus, & quod implere noluimus, non potuiſſe nos dicimus . . . . . . Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: Aut bibe, aut morieris: melius erat ut caro tua ſobria occideretur quam per ebrietatem anima moreretur.* Iterum ſerm. ccxcii. *Quis alterum cogit ut ſe pluſquam opus eſt, bibendo inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem eius vulneraret gladio quam animam eius per ebrietatem occideret.*

X. Reſpondet P. Leſſius *loc. cit.* a P. Buſembaum, S. Auguſtinum docere, moriendum potius eſſe quam ſe inebriare, quando tyrannus aut quiſque alius in Religionis contemptionem ad ebrietatem compellit. En quam verum ſit, recentes non paucos, ut ſuas novas opinationes defendant, aut reponere Patres non reſolviſſe caſus temporum, aut vanis commentis illorum eludere deciſiones. Hæc P. Leſſii interpretatio vana, arbitraria, & prorſus falſa eſt. Qua ratione, vel probabili coniectura huc introdit P. Leſſius Religionis contemptum? Ubi in S. Auguſtini, vel Cæſarii teſtimonio leve aliquod veſtigium? Si conſiſteret cavillatorium hoc interpretamentum, quiſ-

quiſque dicere poſſet, non eſſe mentiendum, non fornicandum, quando mors a barbaro intentatur in contemptum Religionis: ceterum licitum eſſe mentiri, fornicari, adulterare ad evadendam mortem, quæ in contemptum Religionis non intentatur. Quæ abſurda quam ſint horrenda, & quam neceſſario conſequantur doctrinam P. Leſſii, nemo non videt.

XI. Alia commenta excogitarunt recentiores non pauci in ebrietatis favorem. Hæc quippe addit P. Buſembaum ibidem. *Si iuſta cauſſa eſt, ut v. g. ſi grande malum non poſſit impediri, niſi alius inebrietur, licet eum inducere ad ebrietatem, quæ ſaltem ipſi non ſit voluntaria, ut ſcilicet præter intentionem, ideoque inculpabiliter inebrietur, v. g. vinum fortiſſimum, aut medicatum propinando, cuius vi ignorata decipiatur. Unde ſic poſſes inebriare eos qui alioquin eſſent prodituri urbem, vel te abducturi. Leſſius loc. cit. & Sanchez Lib. II. de matrim. diſp. 11. An vero hoc caſu liceat inducere ad ebrietatem ipſi voluntariam, dubium eſt. Leſſius num. 72. affirmat; quia, inquit, licet ſuadere, & inducere ad minus malum, ut impediatur maius.*

XII. Vides ebrietatem factam ab his Auctoribus pharmacum opportunum, & efficax ad curandos, præcavendoſque morbos, ad conſervandas civitates, ad plurima evitanda mala. Idcirco P. Buſembaum poſuit in definitione ebrietatis illicitam eſſe ſine iuſta & gravi cauſſa. Contra, ſi iuſta & gravis cauſſa adſit, tum licita, & honeſta evadit. Prodenda eſt civitas? Inebrietur proditor. Abducendus es in ſervitutem? Inebrietur prædator. Imminet tibi gravis infirmitas? Poculum ebrietatis ſumito. Iniuſte detineris in carcere? Inebria cuſtodem. Dormire nequis? Te inebria. Recuſat ille manifeſtare ſecretum quod manifeſtare tenetur? Inebria illum. Somnia videntur hæc, at totidem verbis docent multi Doctores moderni. P. Leſſius, inquit P. La-Croix loc. cit. num. 316. *excuſat Indos a mortali, qui tabaco ſe inebriant, inducendo ſomnum in ſe, eo quod privare ſe ratione per ſomnum non ſit peccatum.*

XIII. Pergit ibidem P. La-Croix recenſere more ſuo opiniones excuſantes ebrietatem. P. Illſung docet, cubantes ſuper *lupulum*, & ſe inebriantes non peccare: quia, inquit, *talis inebriatio caret magna voluptatis illecebra.* Hæc ratio nec ipſi P. Croix firma apparet. *Num.* 317. hæc addit. *Aug. Tanner. Fagund. Gobat* cap. VI. num. 37. *univerſaliter docent ebrietatem nullam eſſe mortalem, niſi DIU pr[illegible] uſu & potentia rationis.* Diu ergo, non modo uſu, ſe etiam potentia rationis privare ebrietas debet, ut ſit peccatum mortale. Et quæ temporis longitudo requiritur? Una hora, inquiunt, videtur eſſe longum tempus. Qui vero per tres quadrantes ingurgitatus mero, & pene ebrius abſque uſu, & potentia rationis iaceret ut beſtia, hic venialiter tantum peccaret iuxta Tannerum, Fagundez, Gobat, & La-Croix, qui ultra progreditur, & *num.* 329. hæc ſubiicit. *Si quis ex gravi cauſſa faciat inebriari alterum ad eliciendα ſecreta quæ alter tenetur manifeſtare, multi dicunt non peccare, ſi ad materialem tantum ebrietatem inducat.* Alium caſum exponit ibi P. Croix *num.* 331. & eſt ſequens. *Iniuſte in cuſtodia detentus non peccat inducendo cuſtodes ad materialem ebrietatem.* Et miſſis pluribus aliis, quærit *num.* 326. quid conſilii dandum marito ſit qui conqueritur uxorem *ſuam eſſe bibulam.* Et reſpondet, P. Gobatum remedia ſuggerere *cap.* XLII. *num.* 48. remedia *phyſica contra ebrietatem cap.* II. §. 2. *moralia autem* §. 3. *&* 4.

XIV. Hæc reſcribere placuit, ut intelligat Lector, quanta induſtria Buſembaum Illſung, Gobat, Leſſius, La-Croix, & alii curaverint ebrietatis peccata minuere. La-Croix longum cenſum conficit opinionum quæ aut excuſant ebrietatem, aut eam reiiciunt. Scripturarum oracula, SS. Patrum acres, & vehementes declamationes alto premit ſilentio. Sub finem duntaxat illis qui amant caſtitatem, ſuggerit, debere immoderatas potationes fugere; quia Paulus *Epheſ.* V. ait. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Idque confirmat auctoritate Ariſtophanis, & Hieronymi. At numquid non amantibus caſtitatem licitæ erunt immoderatæ potationes? Abſit.

XV. Ebrietas natura ſua mala eſt, vitium capitale eſt, & ex genere ſuo mortale; nihiloſecius medicina evaſit, & remedium ad morbos curandos, ad ſomnum conciliandum, ad mala præcavenda, ad extorquenda ſecreta, ad fugam e carceribus capiendam. Quis hæc inaudiens, eaque comparans cum Scripturarum oraculis, & Sanctorum doctrina, commotum non ſe ſentit? Magis ergo deteſtatione quam confutatione refellenda ſunt. Quoniam nonne ſcelus eſt uti fornicatione, mendacio, adulterio ad recenſita mala præcavenda, ad morbos curandos? Cur? Quia hæc ſcelera natura ſua mala ſunt. At nonne & ebrietas natura ſua exitioſa eſt? Nonne genere ſuo peccatum mortale eſt?

XVI.



XVI. Tabernarii, inquit S. Antoninus *II. Part. tit.* VI. *cap.* III. §. 2. ſcientes, aut prævidentes inebriari eos qui ad popinas accedunt, peccant mortaliter, ſi propter avaritiam non negant iiſdem vinum, & non impediunt ebrietatem. Quoties enim ſine magno periculo impedire peccatum ebrietatis poſſunt, & omittunt, graviter peccant contra præceptum, quo *unicuique mandavit Deus de proximo ſuo.* Nec eſt quod ſe excuſent, dicentes paratos illos eſſe ad ebrietatem: nam vides quempiam paratum ad ſe corporaliter interficiendum: numquid non aſtringeris executionem ſuicidii impedire?

XVII. P. Gobat *Tom. III. tract.* V. *cap.* VI. *num.* 41. excuſat a mortali eos qui nimio potu ſe replent, quique ſimul pharmacum habent, vel pulverem, quo aut impediunt privationem rationis, aut amiſſum rationis uſum brevi recuperant. Sed hæc opinio Gobat falſa eſt, & divinis Scripturis adverſa. Contra iſtos clamat Salomon Prov. XXIII. *Cui væ? Nonne his qui commorantur in vino?* Clamat Propheta Iſaias: *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.*

XVIII. Cibus & potus remedia ſunt contra mortem inſtituta; idcirco ſumenda ſunt, *quemadmodum medicamenta*, inquit *Lib.* X. *Conf. cap.* XXXI. S. Auguſtinus. Exceſſus ſumptionis numquam culpa caret. Sed quo eſt maior, eo culpa gravior. Magnus exceſſus in cibo, tametſi rationem non eripiat, peccatum grave eſt. Sic quoque magnus exceſſus in potu natura ſua grave peccatum eſt.

XIX. Non minus mirificæ ſunt plurium Caſuiſtarum opinationes in deſcribendis ſignis, unde colligi poſſit ebrietatem eſſe peccatum mortale. Aliqui aſſiduitatem, & frequentiam ſe inebriandi ſignum eſſe inquiunt ebrietatem eſſe mortalem. Utique aſſiduitas oſtendit ebrietatem eſſe voluntariam; at ebrietas poteſt ſine aſſiduitate eſſe mortalis. Poteſt quis ſemel in ebrietatem incidere, aut vini robur, aut ſtomachi debilitatem ignorans; idcirco dictum in definitione eſt, illum peccare mortaliter qui *ſciens & volens ſe inebriat.* Aliquis autem ſemel poteſt ſcienter ſe inebriare. S. Auguſtinus, ſive S. Cæſarius *ſer.* XLI. dicit ebrietatem eſſe mortalem, *ſi ſit aſſidua:* quia inquit 2. 2. *qu.* CL. *art.* 2. *ad* 1. S. Thomas, *aſſiduitas facit ebrietatem eſſe peccatum mortale, non propter ſolam iterationem actus; ſed quia non poteſt eſſe quod aſſidue inebrietur, quin ſciens & volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini, & ſuam habilitatem ad ebrietatem.*

XX. Regula generalis, qua præciſe dignoſcatur, quiſnam exceſſus ſit peccatum mortale, vix deſignari valet. Sed hinc nemo animos ſuſcipere debet ad excedendum; immo contra ab exceſſu magnopere quiſque cavere ſibi debet, ne periculo ſe ſe committat graviter excedendi. Illa enim peccata quæ definitos limites non habent, ſummopere formidanda ſunt: quia divino, non humano iudicio ponderantur.

XXI. Aliqui Caſuiſtæ ebrietatem a mortali excuſant, ſi eo non pervenerit, ut homines magis irrationales quam rationales appareant. Si homines in pecora, & in bruta non tranſmutantur, tunc, iuxta Auctores illos, non peccant mortaliter: puta, ſi retrahere ſe nequeunt a via, ne opprimantur a curru, vel equo tranſeunte a quo vel ipſa beſtia ſibi cavet.

XXII. P. Buſembaum Lib. V. c. III. ar. 2. *Si quis poſt potum diſcernere adhuc poſſit inter bonum, & malum, licet nonnihil phantaſia turbata ſit, aut ſequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur; nondum plena eſt ebrietas; ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, ſi DELIBERATE ſit commiſſum. V. Layman loc. cit. Plena ebrietas notatur ex his ſignis quæ dat Leſſius n.* 70. *&c. Si quis non meminerit dictorum, factorum; quomodo, vel quando domum deductus.* 2. *Si commiſit ea quæ numquam ſana mente ſolet: v. g. ſi præter morem turpia ſit locutus, turbavit domum, uxorem verberavit &c.*

XXIII. Quamvis igitur homines mero ſe ingurgitent uſque ad vomitum *reipſa ſecutum*, quamvis oculi revoluti *cernant duplicia*, quamvis domus *gyrari* videatur, & lingua *titubet*, quamvis domum veluti porcelli deportentur, ſi tamen meminerint portatos ſe eſſe, quamvis *deliberate* uſque ad hunc exceſſum potent, & ſe ſe ingurgitent, nihilominus liberi ſunt a peccato mortali, & ſolum venialem culpam ex gravioribus perpetrant. Hæc mihi laxitatis portenta videntur. Hinc mirari deſinamus, cum diebus feſtis homines mero potatos publicas vias inambulantes conſpicimus, pedibus vacillantes, & veluti vento actos modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram declinantes, oculiſque duplicia, & arbores, dumoſque gyrare cernentes.

XXIV. Confeſſarii, Summulam Buſembaum legentes, eiuſmodi potatores, & vino e-

eſſectus, ſolius peccati venialis reos reputant. Declamant Concionatores contra vitium ebrietatis; et ſudis canunt, & aerem verberant, quia Confeſſarii, ſequentes præfatorum Caſuiſtarum libros, ſidem Concionatoribus nullam adhibent.

XXV. Ut multa in pauca contraham, quamvis, ut dixi, contra præfiniri regula nequeat, quando mortalis ſit exceſſus; certiſſimum tamen eſt, homines deſcriptos a P. Buſembaum, & Leſſio, aliiſque, qui deliberate potant uſque ad vomitum, cernuntque duplicia, & domum in gyrum duci ſibi videre videntur, lingua titubantes, peccare mortaliter. Præterea illud eſt advertendum, quod potantes uſque ad mentis perturbationem, licet non omnimodam & totalem, malitiam ebrietatis aggravant, quia exceſſus incertitudinem contemnunt: qui exceſſus divino, non humano iudicio ponderatur. Accedit quod potantes uſque ad mentis turbationem tum calefacti magis inardeſcunt ad bibendum, & tum vix ſe coercere valent, neque advertere poſſunt futura abſurda, ad quæ illos abripere illa turbatio mentis poſſit.

XXVI. Ex his omnibus colligant Confeſſarii, impendendam non eſſe eiuſmodi potatoribus, qui fortes ſunt ad bibendum vinum, & robuſti ad miſcendam ebrietatem, abſolutionem, niſi prius certa abſtinentiæ, & temperantiæ argumenta exhibuerint. Numquam plus iuſto ſeveri Confeſſarii erunt in deneganda illis qui vitio ebrietatis laborant, abſolutione. Et niſi ſub initium illos maiori qua valent ſeveritate ſanare ab hoc peſtifero morbo ſtuduerint, illorum ſcelerum participes evadent. Serio perpendant Confeſſarii, frequentantes popinas innumera ſcelera patrare. Scandala ingerunt, & alios ad idem ſcelus provocant: detractiones, rixas, blaſphemias, periuria, mendacia, & id genus ſimilia committunt: caſtitatem violant, familiam turbant, pecunias ſæpe familiæ ſuſtentandæ neceſſarias uno die dilapidant, debita contrahunt, ludos agunt, tempus perdunt, filios ſcandalizant, & tandem corporis, & animæ ſalutem præcipitant: dies feſtos profanant, officia hominis chriſtiani negligunt, & profeſſionem evangelicam infamant. Ne multa; frequentia propinarum plurium delictorum occaſio eſt: & merito tabernæ *dæmonum officinæ* appellantur. Inducant ergo Confeſſarii vigorem & fortitudinem ſacerdotalem, obſecrent, arguant, increpent, & a ſacramentis penitus illos arceant, donec tanti ſceleris emendationem exhibeant. Regulas temperatiæ, & ſobrietatis diſcant Confeſſarii ab ipſa Scriptura ſancta, a Patribus, ab ipſa natura, quæ a ſuperfluis abhorret. Mittant, quæſo, nonnullos Caſuiſtarum libros, in quibus ea docentur quæ pugnant cum communi ſenſu. In memoriam revocent S. Caroli Borromæi, & omnium Patrum doctrinam, Confeſſarios nempe plures ſua perniciosa benignitate in cauſa eſſe cur tot Chriſtiani in vitiorum cœno volutentur. Quoniam ſi Dei miniſtri ſceleris horrorem repræſentarent, ſi timorem incuterent forſitan, inquit S. Thomas Villanovanus, a vitiis populum revocarent. Severiſſimi præſertim ſint cum Clericis, cum Curatis, cum patribus familias, qui tanto gravius peccant, quanto in altiori gradu refulgent.

## CAPUT VIII.

*Malitia iræ, einſque ſex filiæ exponuntur.*

I. ANtequam definitionem iræ explicem, præmitto, iram ſecundum ſe, prout eſt motus appetitus ſentientis, nihil mali præferre. Aliquæ enim paſſiones non malitiam continent, ſed virtutum inſtrumenta ſunt. *Iraſcimini*, inquit David Pſal. IV. *& nolite peccare*. Itaque affectus iræ, inquit Tullius Chriſtianorum, Ludovicus Granatenſis *Dom. X. poſt Pentecoſt. conc. II.* cum ſit ab ipſa natura, nobis ingeneratus, & ab opifice Deo inditus (a quo mali nihil emanare potuit) fatendum eſt, hunc animi motum ad humanæ vitæ ſalutem, ſicut & ceteros, qui ſimili modo nobiſcum nati ſunt, eſſe neceſſarium. Qua de re D. Chryſoſtomus ſic ait. *Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. Itaque qui cum cauſſa non iraſcitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit, & non ſolum malos, ſed etiam bonos ad malum invitat.* Hactenus ille. Quam eius ſententiam ſic accipere debemus, ut illam D. Gregorii non obliviſcamur, quæ ſic habet. *Ira, etiam cum delinquentium culpas inſequitur, non debet menti noſtræ quaſi domina præire, ſed poſt rationis tergum quaſi ancilla rationis ſubmiſſa famulari.* Hæc ille.

II. Ceterum, pergit Granatenſis, quamvis hic affectus Conditoris beneficio noſtræ naturæ inditus fuerit, nos tamen, quemadmodum ceteris, non ad ſalutem, ſed ad perniciem noſtram ſurenter abutimur. Impreſſit nobis naturæ auctor coniugii deſiderium pro-





creandorum liberorum gratia, quibus naturæ noſtræ mortalitas in ſobole quodammodo reſarcitur. Quis autem enumerare valeat quot ſtupra, quot adulteria, quot inceſtus, quotque ſacrilegia propter intemperantiam noſtram ex hoc fonte oriantur? Univerſus fere mundus libidinum flammis ardere, & præceps ex igne libidinis in gehennæ ignem ferri videtur. Ingeneravit etiam mentibus noſtris idem Conditor noſtri amorem, qui nos ad quærenda quæ ad vitæ uſum neceſſaria eſſent, incitaret; at per immoderantiam noſtram ex hoc fonte teterrima generis humani avaritia naſcitur, quam Apoſtolus malorum omnium radicem eſſe ait. Ad hunc ergo modum ira nos etiam abutimur, quæ cum ad vindicatæ iuſtitiæ officium data ſit, nos eam in furorem, rabiemque ita convertimus, ut vix ulla capitalior peſtis in humana vita graſſetur. Hactenus Granatenſis.

III. Deſcriptam doctrinam paucis perſtringit 2. 2. q. CLVIII. *ar.* 2. S. Thomas. *Ira, ſicut dictum eſt, proprie nominat quamdam paſſionem. Paſſio autem appetitus ſenſitivi intantum eſt bona, inquantum ratione regulatur; ſi autem ordinem rationis excludat, eſt mala. Ordo autem rationis in ira poteſt attendi quantum ad duo. Primo quidem quantum ad appetibile in quod tendit, quod eſt vindicta. Unde ſi aliquis appetat quod ſecundum ordinem rationis fiat vindicta, eſt laudabilis iræ appetitus; & vocatur ira per zelum.*

*Si autem aliquis appetat quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis (puta ſi appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non ſecundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui eſt conſervatio iuſtitiæ, & correctio culpæ) erit appetitus iræ vitioſus; & nominatur ira per vitium.*

*Alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantum ad modum iraſcendi; ut ſcilicet motus iræ non immoderate ferveſcat nec interius, nec exterius: quod quidem ſi prætermittatur, non erit ira abſque peccato, etiamſi aliquis appetat iuſtam vindictam.*

IV. Ira itaque iuxta communem definitionem eſt appetitus inordinatus iniuſtæ vindictæ. S. Auguſtinus appellat vindictam *libidinem ulciſcendi*. Iniuſta & indebita vindicta eſt. 1. quando quis innocentem punire concupiſcit. 2. dum reum maiori quam meretur, pœna plecti appetit. 3. dum licet præter ordinem iuſtitiæ puniri reum deſiderat vel a ſeipſo, vel ab alio, qui nulla in hunc finem auctoritate præditus eſt. 4. demum indebita & iniuſta ultimo eſt, cum non appetitur ob debitum finem, nempe ob iuſtitiam, & legum obſervantiam, aut delinquentis correctionem, & publicam utilitatem, & exemplum. Ira ſecundum hanc conſiderationem eſt peccatum mortale ex genere ſuo, quia oppoſita iuſtitiæ, & caritati; ut docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* CLVIII. *art.* 3. his verbis. *Motus iræ poteſt eſſe inordinatus, & peccatum dupliciter, ſicut dictum eſt. Uno modo ex parte appetibilis, utpote cum aliquis appetit iniuſtam vindictam; & ſic ex genere ſuo ira eſt peccatum mortale, quia contrariatur caritati, & iuſtitiæ.*

*Poteſt tamen contingere quod talis appetitus ſit peccatum veniale propter imperfectionem actus. Quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis; puta cum motus iræ prævenit iudicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis; puta cum aliquis appetit in aliquo modico ſe vindicare, quod quaſi nihil eſt reputandum, ita quod, etiam ſi actu inferatur, non eſſet peccatum mortale; puta ſi aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid huiuſmodi.*

*Alio modo poteſt eſſe motus iræ inordinatus quantum ad modum iraſcendi; utpote ſi nimis ardenter iraſcatur interius, vel ſi nimis exterius manifeſtet ſigna: & ſic ira ſecundum ſe non habet ex ſuo genere rationem peccati mortalis; poteſt tamen contingere quod ſit peccatum mortale: puta ſi ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei, & proximi.*

V. Diſtinguendus itaque eſt appetitus vindictæ, de qua dictum eſt, ab ira quæ animum commovet, & ad indignationem concitat abſque vindictæ deſiderio. Hæc enim ira aut nullum, aut veniale peccatum eſt. Quare qui ſine ullo vindictæ appetitu iraſcuntur, ſi modum non excedant, vel nullum, vel veniale crimen admittunt. Venialiter quoque dumtaxat peccant quorum ira eſt quidem cum appetitu vindictæ coniuncta, ſed abſque voluntatis aſſenſu. Similiter venialis tantum ad ſummum eſt ira illorum qui citra ullam deliberationem corripiuntur repentino vindictæ appetitu, qui ſiſtit in ipſo appetitu ſentiente, & ultra non progreditur. Peccant item venialiter qui repentinos iræ motus non conantur reprimere continuo ac eos ratio advertit: vel non impediunt, ne ſuboriantur, cum impedire valeant. Venialiter ſimiliter peccant qui levem vindictam a proximo repetere volunt. Tandem illi qui ex naturali temperamento ad iram propenſi ſunt, ut melancholici, ſenes, pueri, mulierculæ,

& ceteri, qui nulla, vel levi cauſſa iraſci ſolent, communiter venialis culpæ terminos non tranſiliunt, niſi ad huiuſmodi commotionem, & ultionis appetitum deliberatus voluntatis conſenſus accedat. Quia tunc appetitus vindictæ deſineret in peccatum mortale. Quare qui hanc pravam ulciſcendi, & imprecandi mala propenſionem in ſemetipſis experiuntur, omni diligentia eam comprimere aſtringuntur: alioquin conſenſus præſumitur voluntarius in cauſſa, ſeu in omiſſione adhibendi neceſſarium ſtudium triumphandi de hac effrenata fera.

VI. Tres iræ gradus diſtinguit Chriſtus Dominus Matth. v. *Ego autem dico vobis: quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* His verbis, *Ego autem dico vobis*, perſtringit Salvator noſter Scribarum & Phariſæorum errorem. Damnabant illi homicidium dumtaxat, cum corpus humanum vulneribus inflictis vita privabatur; at iniquum animi motum, quo homicidium, aut grave proximi damnum deſiderabatur, licitum putabant, ſicut mœchiam ſolo animo conceptam. Quem etiam errorem Chriſtus profligavit ibidem. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.*

VII. Primo itaque letaliter peccat qui ſive offenſus, ſive ſecus, ira inflammatur adverſus proximum, cuius aut homicidium, aut grave nocumentum expetit. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio*, ideſt capitis pœna plectendus eſt, non humano, ſed divino iudicio, cui peccatum internum ſubiectum eſt. Non ſolum ergo homicidium, opere externo conſummatum, peccatum eſt, ut contendebant Phariſæi; ſed etiam ipſa voluntas occidendi, aut proximo graviter nocendi grave ſcelus eſt, ſicut & animo mœchari.

VIII. Secundus iræ gradus eſt, cum quis hunc internum iniuſtæ vindictæ animum ſigno aliquo externo manifeſtat: *Qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio.* Vox illa *Racha* interiectio eſt, quæ convicium aliquod ſignificat, vel *ſine cerebro*, ut vult S. Hieronymus, vel morum pravitatem, & fortunarum inanitatem, ut interpretatur S. Baſilius. Qui igitur mortalis vindictæ appetitu ſuccenſus in convicia ſimul proruperit, peccatum gravius perpetrat, reuſque eſt concilio, ſeu, ut interpretatur Auguſtinus, concilio *Sanedrin* ex ſeptuaginta ſenioribus conflato. Quoniam ſicut ad concilium illud graviora delicta punienda deferebantur; ſic præfatum delictum in ſupremo Dei tribunali ultimo ſupplicio plectetur.

IX. Denique tertius gradus præfatæ iræ, ſeu appetitus iniuſtæ vindictæ eſt, quando aliquo extremo convicio conſummatur. *Qui dixerit fratri ſuo, Fatue*, ideſt exprobando ſtultitiam; quæ eſt convicium gravius priori *Racha*. Qui igitur gravi ira ſuccenſus grave damnum proximo deſiderat, & eius honori, vel fortunis, vel corpori nocere cupit, exprobrando homini fatuitatem naturalem cum ultionis appetitu, vel fortunæ eius bona intervertendo, aut lædendo, vel corpori vulnera infligendo, graviſſime peccat. Quare ſi primus gradus eſt peccatum mortale, alii duo gradus graviorem contineat malitiam.

X. Hæc omnia paucis complectitur 2. 2. q. clviii. art. 5. ad 3. S. Th. inquiens: *Dicendum, quod gradus iræ quos Dominus ponit, non pertinent ad diverſas iræ ſpecies, ſed accipiuntur ſecundum proceſſum humani actus. In quibus primo aliquid in corde concipitur; & quantum ad hoc dicit:* Qui iraſcitur fratri ſuo. *Secundum autem eſt, cum per aliqua ſigna exteriora manifeſtatur exterius, etiam antequam prorumpat in effectum; & quantum ad hoc dicit:* Qui dixerit fratri ſuo, Racha, *quod eſt interiectio iraſcentis. Tertius gradus eſt, quando peccatum interius conceptum ad effectum perducitur: eſt autem effectus iræ nocumentum alterius ſub ratione vindictæ: minimum autem nocumentorum eſt quod fit ſolo verbo; & ideo quantum ad hoc dicit:* Qui dixerit fratri ſuo, Fatue: *& ſic patet quod ſecundum addit ſupra primum, & tertium ſupra utrumque. Unde ſi primum eſt peccatum mortale in caſu in quo Dominus loquitur, ſicut dictum eſt .... multo magis alia. Et ideo ſingulis eorum ponuntur correſpondentia aliqua pertinentia ad condemnationem: ſed in primo ponitur iudicium, quod minus eſt, quia, ut Auguſtinus dicit ...* in iudicio adhuc defenſioni locus datur: *in ſecundo vero ponit concilium, in quo iudices inter ſe conferunt, quo ſupplicio damnari oporteat: in tertio ponit gehennam ignis, quæ eſt certa damnatio.*

XI. Ira eſt vitium capitale, ut ibidem *art.* 6. oſtendit S. Thomas, habetque ſex filias, & ſunt ſequentes.

XII. *Indignatio*, quæ eſt *animi commotio contra eum cui quis iraſcitur ob malum ab ipſo acceptum.* Poteſt eſſe mortalis, ſi ſit cum gravi puſillorum ſcandalo, ſi creſcat uſque ad gravem contemptum, aut grave odium, procedatque ad neganda ea quæ ſub morta-





li debentur, puta eleemoſynam in gravi neceſſitate.

XIII. *Tumor mentis* eſt *motus, ſeu æſtus animi non ſuperbi, ſed iracundi, qui variis cogitationibus turgeſcens modos perquirit ultionis.*

XIV. *Clamor eſt inordinata & confuſa vocis elatio.* Poteſt eſſe mortalis, ſi grave ſcandalum proximo præbeat, aut ſi per importunam illam vociferationem grave detrimentum inferre expetat iracundus vociferator.

XV. *Contumelia eſt iniurioſa locutio contra proximum præſentem & audientem.* Si animo deliberato dehoneſtandi graviter proximi honorem proferatur contumelia, eſt peccatum mortale. Advertit S. Th. 2. 2. q. lxxii. *art.* 3. quod aliquando licitum ſit, immo oporteat contumeliam repellere. *Tenemur*, inquit, *habere animum paratum ad contumelias tolerandas, ſi expediens fuerit. Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum eius qui contumeliam infert, ut videlicet eius audacia reprimatur, & de cetero talia non attentet, ſecundum illud Prov.* xxvi. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur. *Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.* Magna tamen cautione & moderatione opus eſt, ne zeli, & iuſtæ correctionis atque repreſſionis pallio lateat odium, & immoderata vindicta.

XVI. Duæ poſtremæ iræ filiæ ſunt *blaſphemia*, de qua *Tom. III. Lib. III. diſſ.* iii. *in Decal.* De rixa vero lege *Tom. II. diſſ.* viii. *c.* iv. *in Decal.* ne eadem bis repetamus.

## CAPUT IX.

*De invidiæ iniquitate, & quæ ſint illius filiæ. Laxiſſima P.* Thomæ Tamburini *doctrina refellitur.*

I. DE invidia obiter pauca dicta ſunt *Tom. II. in Decal. Lib. I. diſſert.* viii. *cap.* ii. *quæſt.* iii. nunc eiuſdem malitiæ gravitas, & filiæ quæ inde oriuntur, explicandæ occurrunt.

II. Invidia ſic communiter definitur: *Eſt triſtitia de bono alterius, perinde ac ſi noſtrum malum foret, quatenus illo noſtram excellentiam æquari, aut minui conſpicimus*: ſeu eſt triſtitia de bono alterius apprehenſo ut malo noſtro. Si quis ex bono grandi alterius proſpiciat ſibi imminere aliquod detrimentum, tunc triſtitia, ſeu dolor de bono, & felicitate proximi timori, non invidiæ adſcribendus eſt. Poteſt quis dolere de bono alieno, quo ipſe caret, & quod poſſidere deſiderat: atque eiuſmodi mœror, ſeu dolor æmulatio nominatur. Qui vero triſtatur de bono alieno, propterea quod eiuſdem poſſeſſorem indignum reputet, alterum vero eo carentem dignum exiſtimet, eiuſmodi dolor indignatio appellatur. Invidia itaque proprie triſtatur de bono alterius, inquit 2. 2. *quæſt.* xxxvi. *art.* 1. S. Thomas, *inquantum eſt diminutivum propriæ gloriæ, vel excellentiæ.* Dicitur in definitione, *perinde ac ſi foret noſtrum malum*: quia communiter invidia fervet inter æquales iuxta tritum proverbium: *Figulus figulo invidet.* Ultimæ particulæ, *quatenus illo noſtram excellentiam æquari, aut minui conſpicimus*, ſignificant invidiam proficiſci ex bonis quæ vulgari hominum opinione honorifica, & glorioſa reputantur, ut ſunt opes, divitiæ, faſtigia dignitatum, titulorum inſignia, eximia virtus, conſummata eruditio, & doctrina, favor & gratia Principum, & cetera id genus.

III. Hæc omnia perſpicue *loc. cit. art.* 2. deſcribit S. Thomas his verbis. *Invidia eſt triſtitia quædam de alienis bonis. Sed hæc triſtitia poteſt contingere quatuor modis. Uno quidem modo, cum aliquis dolet de bono alicuius, inquantum ex eo timetur nocumentum vel ſibi ipſi, vel etiam aliis bonis: & talis triſtitia non eſt invidia, ut dictum eſt; & poteſt eſſe ſine peccato. Unde Greg. XXII. Moral. .... ait:* „Evenire plerumque ſolet „ut, non amiſſa caritate, & inimici nos „ruina lætificet, & rurſum eius gloria ſine „invidiæ culpa contriſtet, cum & ruente eo „quoſdam bene erigi credimus, & proficiente illo pleroſque iniuſte opprimi formidamus.“

*Alio modo poteſt aliquis triſtari de bono alterius, non ex eo quod ipſe habet bonum, ſed ex eo quod nobis deeſt bonum illud quod ipſe habet: & hoc proprie eſt zelus, ut Philoſ. dicit in II. Rhet. .... Et ſi iſte zelus ſit circa bona honeſta, laudabilis eſt, ſecundum illud I. Corinth.* xiv. Æmulamini ſpiritualia: *ſi autem ſit de bonis temporalibus, poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato.*

*Tertio modo aliquis triſtatur de bono alterius, inquantum ille cui accidit bonum, eſt eo indignus: quæ quidem triſtitia non poteſt oriri ex bonis honeſtis, ex quibus aliquis iuſtus efficitur; ſed, ſicut Phil. dicit in II. Rhet. .... eſt de divitiis, & de talibus quæ poſſunt provenire dignis, & indignis: & hæc triſtitia ſecundum ipſum vocatur nemeſis, &*

*pervenit ad bonos mores. Sed hoc ideo dicit, quia conſiderabat ipſa bona temporalia ſecundum ſe, prout poſſunt magna videri non reſpicientibus ad æterna. Sed ſecundum doctrinam fidei temporalia bona quæ indignis proveniunt, ex juſta Dei ordinatione diſponuntur vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem: & huiuſmodi bona quaſi nihil ſunt in comparatione ad bona futura, quæ ſervantur bonis. Et ideo huiuſmodi triſtitia prohibetur in Scriptura ſacra, ſecundum illud Pſal.* xxxvi. „ Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. “ *Et alibi Pſal.* lxxii. „ Pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. “

*Quarto modo aliquis triſtatur de bonis alicuius, inquantum alter excedit ipſum in bonis: & hoc proprie eſt invidia. Et iſtud ſemper eſt pravum, ut etiam Philoſ. dicit in II. Rhet. ... quia dolet de eo de quo eſt gaudendum, ſcilicet de bono proximi.*

IV. Invidia eſt monſtroſus abortus ſuperbiæ, cum ex amore propriæ excellentiæ proficiſcatur. Adeo vile, ſimul & perniciosum eſt vitium iſtud, ut eiuſdem turpitudini & gravitati deſcribendæ me prorſus imparem agnoſcam. Ideirco Patrum penicillo utar, ut eiuſdem teterrimam imaginem depingam.

V. S. Ioannes Chryſ. *hom.* xli. *in Matth.* his coloribus invidiam delineat. *Tale certe malum eſt invidia, quæ ita graſſatur in animas, ut omnem malignitatem, & nequitiam prætergrediatur. Nam adulteriis addicti teterrimam voluptatem quærunt in ſuo crimine, quod brevi tempore perpetratur. Invidi autem multo ante ſeipſos diſcruciant quam eos quibus invident, perturbent, & torqueant. Sua invidia ita laniantur, & tam aſſidue, ut nullum peccandi finem faciant. Sed quemadmodum lutulentæ ſues cœno, & dæmones noſtro geſtiunt exitio, ſic invidi in proximorum calamitatibus tripudiant. Si quid mali proximo accidiſſe reſcieris, tunc nonnihil acquieſcit invidus, & reſpirat: alienas enim iacturas ſuos quæſtus exiſtimat, & aliorum felicitatem ſuam reputat miſeriam, & calamitatem; nec magis conſiderat, quid ſibi lætum, & proſperum obtingat, quam quid proximo adverſum & calamitoſum inferatur. Nonne igitur eiuſmodi homines lapidibus eſſent appetendi? Nonne omni ſupplicio mactandi? Siquidem non ſecus ac canes rabie perciti oblatrant omnes, & ſunt veluti dæmones conſpicui, & peiores ſunt furiis fabuloſis Poetarum carmine decantatis. Nam quemadmodum ſcarabæi alieno ſtercore paſcuntur; ita invidi adverſa cæterorum hominum fortunæ nutriuntur, & ſic toti hominum cœtui inimicitias, & bella denuntiant.*

*Et alii quidem homines ſi brutas animantes immaniter cædi, dilaniarique videant, nonnihil miſerentur; tu vero ſi hominem ſalute per ſingulari beneficio donatum videas, in rabiem adverſus benefactorem ageris ad inſtar feraciſſimarum animantium. Et quid hac inſania, vel immanitate deteſtabilius umquam reperiatur? Nonne igitur vere ac merito fornicatoribus, & publicanis patuit aditus in cœlum, e quo invidi æternum ſunt expulſi, licet eius heredes legitimi forent? Filii autem regni eiicientur foras, ut Evangelium atteſtatur. Illi, fornicatores nimirum, & Publicani, abdicata omni pravitate, & nequitia ſunt inſperatis ab ipſo Deo ſunt cumulati; Phariſæi autem iis bonis quibus iam donati fuerant, ſua ſunt invidia deſtituti. Quod ſane iuſtiſſimum eſt. Nam invidia peſtiferum, & perniciosum malum hominem ab omni humanitatis gradu deiectum in teterrimum dæmonem transformat. Invidia primum in terras homicidium invexit. Invidia fraternis inflammavit in fratrem, & ad fraternæ caritatis contemptum impulit. Invidia inſontis Abel terram innocuo ſanguine reſperſit, & fœdavit. Invidia fecit ut Dathan, Core, & Abiron Moyſi, & Aaroni obtrectantes, una cum familiis viſo terræ hiatu vivi abſorberentur.*

*At forte quis dixerit, facile damnari invidiam, ſed multo utilius fore, ſi ad eam fugiendam remedia præſcriberentur. Quo igitur pacto tantam luem, & nequitiam à nobis propulſare poterimus? Debemus ergo primum tenere, ut quemadmodum fornicatoribus Eccleſiæ aditus intercluditur, ita & invidis intercludendus eſt, immo addo, invidos multo magis quam fornicatores ab cœtu fidelium ablegandos eſſe. Si enim hoc tale tantumque malum, ceu indifferens, & levioris momenti eſſe videatur, ab nonnullis, ceu nihil faciendum, ſpernitur, & admittitur. Profecto ſi eius malignitatis atrocitatem perſpectam & cognitam haberemus, illud nullo negotio declinabimus... Quiſnam admiſſæ invidiæ conſcius, id criminis lacrymis expiavit? Aut Deum iratum ſibi propitiare, & amiſſam eius gratiam ſibi reconciliare ſtuduit? Nemo enim invidiæ atrocitatem ſic informavit animo, ut ad eam expiandam tot lacrymas effundendas, & tot labores adeundos eſſe crederet. Dicam amplius, vir omnium mortalium invidentiſſimus tuto & ſecure ſomnum agi putat, ſi vel leve ieiunium obierit, vel tenuem erogaverit eleemoſynam, ita ut nihil mali commiſiſſe videatur; cum tamen furioſiſſime, & omnium ferventiſſima paſſione detineatur, & ardeat. Nam unde Cain fraterna ſe cæde contaminavit? Nam unde Eſau fratrem exagitavit? Quid Laban adverſus Iacob, quid Iacob liberos in fratrem Ioſeph inflammavit? Quid Core, Dathan, & Abiron adverſus Moyſem incendit? Quid adverſus ipſum Aaronem, & Mariam eius ſororem murmurare impulit? Quid dæmonem ad dæmonis ſtatum adegit, & illi diabolo, hoc eſt calumniatori, nomen dedit? Perpende præterea te tibi maiorem inferre iniuriam quam illi cui invides; utpote qui gladium, quem diſtrinxeras in ipſum, in tua ipſius præcordia retorqueas.*

*Quid enim mali vel incommodi fratricida Cain fratri ſuo Abel eum necando attulit? Nonne illum potius incontinenti ſuam, & invitum citus ad regnum tranſmittendo multo beatiorem reddidit, & ſeipſum innumeras miſerias implicavit? Quid Eſau fratri Iacob nocuit? Eius invidia nihil obſtitit quominus locupletaretur, & circumflueret bonis cum eſſet invidus e patria, & domo exterris, fratri nequidquam inſidiatus, exteras regiones pervagatus miſerrimam mortem oppetierit? Quid denique Ioſeph mali importatum eſt per invidiam fratrum, qui eum tantum non interficerent? Nonne ad eas anguſtias non ſunt adducti, ut invidia propemodum interirent, dum ipſe totam Ægyptum regia auctoritate moderaretur & regeret? Nam quanto maiore invidia proximum proſequeris, tanto maiora illi procuras bona. Deus enim, qui omnia circumſpicit, ſuſcipit & tuetur innocentem, & permotus iniuſtitia, qua obterunt, eum multo altius attollit, illuſtrem facit & invidentem ſua ipſius malitia in ipſummet retorta plectit, & deprimit... Si enim viros de inimicorum miſeriis lætatos, criminoſam hanc lætitiam impune ferre non patitur .... quanto maioribus ſuppliciis afficiet eos qui, inſtigante invidia, male volunt viris a quibus nullam umquam paſſi ſunt iniuriam? Ergo, fratres, multorum capitum belluam ſeu monſtrum fremens perimamus.*

VI. Eloquentiſſimam, unaque elegantiſſimam hanc Chryſoſtomi concionem, tametſi longam, tranſcribere volui, ut tanquam in pellucidiſſimo ſpeculo maculas, labes, & nequitiam teterrimæ invidiæ quiſque contemplari valeat: ut Confeſſarii, & Parochi habeant, unde exhortari, imbuere, urgere Chriſtianos poſſint ad bellum huic veſanæ, & contumacissimo vitio intentandum: ut patefacere inſidias, damna, & calamitates quæ hinc proficiſcuntur, & exemplis animare valeant ad ſe armandum adverſus vaferrimum monſtrum. Exaggerent invidorum vilitatem. *Parum enim*, inquit alicubi Tullius, *ſedit ſue qui aliena invidet virtuti*. Sed præclarius *Lib. V. Moral. c.* xxx. S. Greg. Papa. *Parvulus eſt qui invidia occiditur: quia niſi ipſe inferior exiſteret, de bono alterius non doleret. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia quamvis per omne vitium quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus infunditur, in hac tamen nequitia tota ſua viſcera ſerpens concutit, & imprimendæ malitiæ peſtem vomit: de quo nimirum ſcriptum eſt:* Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. *Nam cum devictum cor livoris putredo corruperit, ipſa quoque exteriora indicant quam graviter animum veſania inſtigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigeſcunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus ſtridor, cumque in latebris cordis creſcens abſconditur odium, dolore cæco tenebrat conſcientiam vulnus inclauſum. Nihil lætum de propriis libet, quia tabeſcentem mentem ſua pœna ſauciat, quam felicitas torquet aliena: quantoque extranei operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis invidæ profundius ſuffoditur: ut quo alii ad meliora properant, eo ipſi deterius ruant, qua ruina videlicet etiam illud deſtruitur quod in aliis actibus perfecto opere ſurrexiſſe putabatur. Nam invidia, cum mentem tabefecerit, cuncta quæ invenerit bene geſta, conſumit.*

VII. P. Thomas Tamburinus adverſus hanc Scripturarum, Patrum, Theologorum omnium doctrinam calamum ſuum acuere nequaquam erubuit. Audi lector, & lege quæ *Libr. V. in Decal. c.* 1. §. 3. *n.* 35. *& ſeq.* ſcribere auſus Tamburinus. Hæc ſunt eiuſdem verba. „
„ Inquires tertio, an ſicut poteſt quis modo
„ haſtenus explicato *gaudere de malo alterius*,
„ quia ſibi bonum ſit; ita e contra licite que-
„ at triſtari de alterius bono, ut ſibi malum
„ eſt. Reſpondeo. Hic videtur eſſe actus invi-
„ diæ, quam ſic communiter deſcribunt Do-
„ ctores ex S. Th. 2. 2. q. xxxvi. *art.* 1. *&* 3.
„ Valent. Con. Suar. Bonac. aliique apud Ca-
„ ſtrop. . . *Eſt inordinata triſtitia qua quis do-*
„ *let de bono alterius, non quatenus eſt illius*
„ *bonum, ſed quatenus videtur diminuere pro-*
„ *prium excellentiam, ſeu proprium bonum.*
„ 36. Hæc *communiter*. Quæ tamen MI-
„ HI difficilia ſemper viſa ſunt. “ Habes hinc tacentem Tamburinum ſe contra commu-

nem

nem Theologorum doctrinam belligerare in favorem & defenſionem invidiæ. Audi nunc eiuſdem pro invidia argumentationem *ibid. n.* 37.
„ Iam ſic arguo. Quando doleo de bono
„ alterius, ut eſt diminutivum meæ excel-
„ lentiæ, non doleo de bono alterius abſo-
„ lute, ſed formaliter de malo meo, ſeu de
„ diminutione meæ excellentiæ, quæ mihi
„ mala eſt.... Sicut enim ſi gauderem de ma-
„ lo alterius, v. g. *de morte patris, ut cauſ-*
„ *ſante immediate bonum meum*, puta here-
„ ditatis ſucceſſionem, non eſſe peccatum,
„ ſupra *omnes* vidimus, *ſic contra ſi dolerem*
„ *de bono alterius*, ut cauſſante immediate
„ malum meum, culpa non erit. “

VIII. Quis non perhorreſcit ab tam deteſtanda commenta? Pater Tamburinus, ut peccatum capitale invidiæ de medio tollat, præmittit tamquam fundamentum inconcuſſum ſuæ opinionis doctrinam a Romana Sede damnatam. Inſit enim: *An ſicut poteſt quis modo hactenus dicto gaudere de malo alterius &c.* deinde concludit: *Sicut enim ſi gauderem de morte patris, ut cauſſante immediate bonum meum, non eſſe peccatum, ſupra omnes vidimus.* Quid? Omnes hanc damnatam doctrinam docent? Qui ſunt hi omnes? Antiprobabiliſtæ? Non certe. Quinam ergo? Penes Tamburinum ſit. Romana Sedes ſub Innocentio XI. tres theſes, quibus nititur hæc Tamburini doctrina, damnavit, quæ ſunt 13. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alterius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* 14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hereditas.* 15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate conſecutas.* Damnatam theſim 13. totidem verbis a P. Caſtropalao defenſam refert *ibid.* Tamburinus *nu.* 32. Ex hac damnata doctrina, quam ipſe Tamburinus cum Palao, & Sa defendit, infert, & propugnat aliam damnabiliorem de invidia. Opponit ſibi. *Urges. At ſic tolleretur de medio peccatum invidiæ unum ex ſeptem vitiis capitalibus.* Suis familiaribus diſtinctiunculis rem implicat. Obiicit ſibi Doctorum auctoritatem *num.* 40.
„ Et S. quidem Thomas, ceterique Docto-
„ res citati lit. H. quando tamquam certum
„ ſupponunt invidiam eſſe triſtitiam quæ
„ quis dolet de bono alterius ut eſt dimi-
„ nutivum propriæ excellentiæ, SUNT
„ INTELLIGENDI deſcripſiſſe invidiam
„ ab effectu.

IX. Sancti Eccleſiæ Patres, & Doctores omnes, qui ſcilicet tamquam certiſſimam doctrinam conſtituunt præfatam invidiæ notionem, ſunt intelligendi deſcripſiſſe invidiam ab effectu? Ecquis tantum audet, ut mitiſſime loquar, qui adverſus communem Patrum, & Eccleſiæ Doctorum ſententiam erigere cervicem non dubitet? *Sic intelligendi* ſunt Doctores Eccleſiæ? Cur ſic intelligendi? Quia Tamburinus ſic dicit. Intelligendi ſunt *deſcripſiſſe invidiam ab effectu? Ita ne* vero? An Patres, an baſilice S. Th. non diſtinguunt iniquitatem invidiæ abſolute acceptæ ab eiuſdem effectibus, ſeu filiabus? Verum quid contra inaudita P. Tamburini paradoxa verba congero? Iudicet ipſe chriſtianus lector, an libri eiuſmodi qui ſcatent pluribus damnatis opinionibus, & ex quibus aliæ damnabiliores inferuntur, ſint nec ne legendi ab imperitis. P. Claudius La-Croix *Lib. V. num.* 394. meminit huiuſce doctrinæ Tamburini, & ſcribit: *Doctrina illa in praxi eſt difficilis.* Difficilis tantum? Eſt æque damnata ac illa de gaudio mortis patris ob hereditatem &c. quoniam ex hac infert Tamburinus licitam eſſe triſtitiam de bono alterius. Verum, ut evidentius pateat, quam ſit falſum ultimum Tamburini commentum, effectus invidiæ deſcribendi ſunt.

X. S. Gregorius Papa, & ex eo S. Thomas 2. 2. *qu.* XXXVI. *artic.* 4. ſequentes effectus, ſeu filias invidiæ recenſet; ſunt autem odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis proximi, & afflictio in proſperis. De his filiabus hæc habet Angelicus ad 3. *Numerus filiarum invidiæ ſic poteſt ſumi: quia in conatu invidiæ eſt aliquid tamquam principium, & aliquid tamquam medium, & aliquid tamquam terminus. Principium quidem eſt ut aliquis diminuat gloriam alterius, vel in occultis, & ſic eſt* ſuſurratio; *vel manifeſte, & ſic eſt* detractio. *Medium autem eſt, quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius, aut poteſt, & ſic eſt* exultatio in adverſis, *aut non poteſt, & ſic eſt* afflictio in proſperis. *Terminus autem eſt in ipſo odio: quia ſicut bonum delectans cauſſat amorem; ita triſtitia cauſſat odium, ut ſupra dictum eſt.... Afflictio autem in proſperis proximi uno modo eſt ipſa invidia, in quantum ſcilicet aliquis triſtatur de proſperis alicuius, ſecundum quod habent gloriam quamdam: alio*



*vero modo eſt filia invidiæ, ſecundum quod proſpera proximi eveniunt contra conatum invidentis, qui nititur impedire. Exultatio autem in adverſis non eſt directe idem quod invidia, ſed ex ea ſequitur. Nam ex triſtitia de bono proximi, quæ eſt invidia, ſequitur exultatio de malo eiuſdem.*

XI. De odio, de ſuſurratione, de detractione late egimus *in Decal.* idcirco in præſens ab illorum explicatione abſtineo. De exultatione quoque in adverſis, & de triſtitia in proſperis proximi ſatis hactenus dictum eſt. Gladius invidiæ lingua eſt. Superbi præſertim invidi ſunt. Ut enim ſuam excellentiam aut extollant, aut conſervent, alienæ excellentiæ invident. Hæc quinque ſcelera, ſuperbia, invidia, odium, detractio, & ſuſurratio, ſacrilego fœdere coniuncta ſunt, & funeſtiſſimam animarum ſtragem operantur. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.* Sap. II. Ex eo ſunt horum confœderatorum ſpiritualium criminum clades tremendiores, quo ſunt occultiores. Superbi, invidique in negotiis ſummi momenti, unde proficiſcuntur conſectaria graviſſima, & timentur abſurda pernicioſiſſima, ut de æmulis triumphent, ut proprium iudicium prævaleat, ut negotium pro ingenio ſuccedat, nihil prorſus curant, quod hinc innumera proficiſcantur mala. Suſurratio eſt peculiare invidiæ telum. Eo præcipue ſuſurratio tendit, ut amicos dividat; & inter eoſdem diſcordias diſſeminare ſtudet, ut *Eccli. cap.* XXVIII. habetur. *Vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam,* & rurſus cap. V. *Suſurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Item Prov. VI. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius: oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.*

XII. Ad ſuſurrationem duo potiſſimum requiruntur. Primum, ut aliquod proximi malum alteri aperiatur inordinate. Si enim Superiori, aut alteri ob bonum finem, & proximi emendationem id pateſiat, laudabile, non vituperabile eſt. Alterum, ut malum pandatur honeſtæ, & rectæ amicitiæ infringendæ cauſa. Si enim malum publicaretur ad pravam labefactandam amicitiam aliquorum qui prava machinantur, & ad iniquitatem patrandam coniuncti ſunt, tum mali delatio non modo culpa vacaret, ſed merito & laude abundaret. Plurima alia de hac peſtifera ſobole prætereo.

## CAPUT X.

*De acedia, eiuſque filiabus.*

I. Acedia definitur 2. 2. *q.* XXXV. *art.* 1. a S. Th. quod ſit *triſtitia de bono ſpirituali, inquantum eſt bonum divinum.* Eſt triſtitia de bono divino, non in ſe ſpectato, ſed quatenus in nobis eſt, vel poteſt eſſe. Odium Dei averſatur bonum divinum, prout in Deo; invidia, prout in proximo; acedia, prout in nobis. Peccatum acediæ eſt triſtitia de bono divino non quocumque; ſed de bono divino imperato, & ad ſalutem neceſſario, ut 2. 2. *qu.* XXXV. *art.* 3. *ad* 2. docet S. Th. inquiens: *Acedia non eſt receſſus mentalis a quocumque ſpirituali bono, ſed a bono divino cui oportet mentem inhærere ex neceſſitate. Unde ſi quis contriſtetur de hoc quod aliquis cogit eum implere opera virtutis, quæ facere non tenetur, non eſt peccatum acediæ; ſed quando contriſtatur in his quæ ei imminent facienda propter Deum.*

II. Acediam peccatum eſſe, Scriptura ſancta teſtatur. *Eccleſ.* VI. hæc habentur. *Subiice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris in vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illam.* S. Th. *loc. cit. art.* 1. evincit acediam eſſe peccatum hac ratione. *Acedia ſecundum Damaſcenum eſt quædam triſtitia aggravans: quæ ſcilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere liceat; ſicuti ea quæ ſunt acida, etiam frigida ſunt. Et ideo acedia importat quoddam tædium operandi; ut patet per hoc quod dicitur in Gloſſa.... ſuper illud Pſ.* CVI. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: *& a quibuſdam dicitur, quod acedia eſt torpor mentis, bona negligentis inchoare.*

*Huiuſmodi autem triſtitia ſemper eſt mala, quandoque quidem etiam ſecundum ſeipſam, quandoque vero ſecundum effectum. Triſtitia enim ſecundum ſe mala eſt quæ eſt de eo quod eſt apparens malum, & vere bonum: ſicut e contrario mala delectatio eſt quæ eſt de eo quod eſt apparens bonum, & vere malum. Cum ergo ſpirituale bonum ſit vere bonum, triſtitia quæ eſt de ſpirituali bono, eſt ſecundum ſe mala. Sed etiam triſtitia quæ eſt de vero malo, mala eſt ſecundum effectum, ſi ſic aggravet hominem, ut eum totaliter a bono opere retrahat. Unde & Apoſtolus II. ad Cor.* II.

non

*non vult ut pœnitens maiori triſtitia de peccato abſorbeatur.*

*Quia ergo acedia, ſecundum quod hic ſumitur, nominat triſtitiam ſpiritualis boni, eſt dupliciter mala, & ſecundum ſe, & ſecundum effectum. Et ideo acedia eſt peccatum. Malum enim in motibus appetitivis dicimus eſſe peccatum, ut ex ſupradictis patet.*

III. Deinde *ibid. art.* 3. oſtendit, acediam ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, quia triſtitia ſeculi operatur mortem: inquit enim: *Peccatum mortale dicitur quod ſpiritualem vitam tollit, quæ eſt per caritatem, ſecundum quam Deus nos inhabitat. Unde illud peccatum ex ſuo genere eſt peccatum mortale quod de ſe ſecundum propriam rationem contrariatur caritati. Huiuſmodi autem eſt acedia. Nam proprius effectus caritatis eſt gaudium de Deo, ut ſupra dictum eſt ..... acedia autem eſt triſtitia de bono ſpirituali, inquantum eſt bonum divinum. Unde ſecundum ſuum genus acedia eſt peccatum mortale.*

*Sed conſiderandum eſt in omnibus peccatis quæ ſunt ſecundum ſuum genus mortalia, quod non ſunt mortalia, niſi quando ſuam perfectionem conſequuntur. Eſt enim conſummatio peccati in conſenſu rationis. Loquimur enim nunc de peccato humano, quod in actu humano conſiſtit, cuius principium eſt ratio. Unde ſi ſit inchoatio peccati in ſola ſenſualitate, & non pertingat uſque ad conſenſum rationis, propter imperfectionem actus eſt peccatum veniale: ſicut in genere adulterii concupiſcentia quæ ſiſtit in ſola ſenſualitate, eſt peccatum veniale: ſi tamen pervenitur uſque ad conſenſum rationis eſt peccatum mortale. Ita etiam & motus acediæ in ſola ſenſualitate quandoque eſt propter repugnantiam carnis ad ſpiritum: & tunc eſt peccatum veniale. Quandoque vero pertingit uſque ad rationem, quæ conſentit fugam, & horrorem, & deteſtationem boni divini, carne contra ſpiritum omnino prævalente, & tunc manifeſtum eſt quod acedia eſt peccatum mortale.*

VI. Quam ſit virulenta, & immanis acediæ iniquitas, ex bello quod divinis præceptis intentat, colligere facile quiſque poteſt. In primis adverſatur primo & maximo mandato diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus. Acedioſus continenter hoc præceptum violat, cuius tepor vomitum, ſeu indignationem divinam contra ſe concitat, ut habetur Apoc. III. *Scio opera tua, quia nec frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus eſſes, aut calidus. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Servum pigrum, & acedioſum talento, quo eum donaverat, privavit, eumque in tenebras exteriores eiecit. Ficulneam ſterilem ſuccidi iuſſit, & in flammas proiici. Quibus figuris homines pigros, inertes, otioſoſque æternis ſuppliciis puniendos, ſignificat Redemptor noſter. Hinc S. Bernardus *ſer.* XX. *in Cantic.* hæc ſcribit. *Diſce, o Chriſtiane, a Chriſto quomodo diligas Chriſtum: diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter: dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppreſſi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria, ſeu carnis voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi præ his ſapientia Chriſtus .... Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia, & circumſpectione; dilige & tota virtute, ut nec mori pro eius amore pertimeſcas.*

V. Violat præterea acedia præceptum quo aſtringimur in Domino delectari. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Matth. V. & Paulus ad Philip. IV. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete.* Adverſatur denique acedia præceptis & operandi cum metu ac tremore ſalutem noſtram, & vigilandi ac orandi ad præcavendas tentationes, & proficiendi in via evangelicæ perfectionis. Quæ omnia fuſe pertractat Merbelius, & ſanctorum Patrum teſtimoniis illuſtrat in *Sum. Chriſt. Part. I. q.* XIV. ut pigros otioſoſque a funeſto torporis ſomno excitet.

VI. Acediæ filiæ ſunt ſequentes: malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita. De ſingulis pauca delibabo.

VII. *Malitia* eſt voluntarius horror, deriſio, & contemptio bonorum ſpiritualium, & proborum hominum, qui concionibus, exhortationibus, & virtutum exemplis ad chriſtianæ profeſſionis obſervantiam excitare acedioſos conantur. Quæ graviſſima nequitia eſt reprobationis character. De his *Sap.* V. dicitur: *Turbabuntur timore horribili dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Quot ſunt hodie qui per ſummam nequitiam tamquam *Rigoriſtas*, & *Ianſeniſtas*, ſeu hæreticos traducunt illos qui peccatores convertere ad chriſtianam Moralem iuxta germanas Eccleſiæ Romanæ regulas ſtudent? Veram chriſtianam profeſſionem Rigoriſmum appellitant, & Chriſtianos in otio, ludis, oblectamentis, in luxu, & pompis, in via mundi inſanientis confirmant, quin ſibi quidquam conſcientiæ vertant.

VIII.



VIII. *Rancor* eſt indignatio acedioſorum, qua turgentes & æſtuantes cervicem erigunt contra Superiores, Paſtores, Confeſſarios, & alios qui illos corrigere, illuminare, & ad meliorem revocare frugem ſtudent. De his *Prov.* XXIX. Salomon ait: *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus.* Et ſane inter ceteros reprobationis characteres unus eſt diabolica illa obſtinatio qua monita, & correctiones prudentum contemnuntur.

IX. *Puſillanimitas* eſt propriarum virium diffidentia, qua quis officia, & opera ardua, quæ facultatem ſuam divina gratia adiutam non ſuperant, refugit ex animi parvitate. Hanc puſillanimitatem peccatum eſſe evincit 2. 2. *quæſt.* CXXXIII. *art.* 1. S. Thomas, tum ex illo S. Pauli ad Coloſſ. III. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant:* tum ex evangelica parabola ſervi pigri, qui acceptam pecuniam domini ſui fodit in terram, nec operatus eſt ex ea; & propter quamdam puſillanimitatem punitus eſt a domino. Tum eſſet peccatum mortale, cum quis pertinaciter reſiſteret acceptare officia ſibi a Superiore impoſita, ut ibidem S. Thomas declarat *ad* 3. inquiens: *Puſillanimitas aliquo modo ex ſuperbia poteſt oriri; dum ſcilicet aliquis nimis proprio ſenſu innititur, quo reputat ſe inſufficientem ad ea reſpectu quorum ſufficientiam habet. Unde dicitur Prov.* XXVI. Sapientior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias. *Nihil enim prohibet quod ſe quantum ad aliqua deiiciat, & quantum ad alia ſe in ſublime extollat. Unde Greg. in Paſtorali .......... de Moyſe dicit, quod ſuperbus fortaſſe eſſet, ſi ducatum plebis innumeræ ſine trepidatione ſuſciperet; & rurſum ſuperbus exiſteret, ſi Auctoris imperio obedire recuſaret.* Puſillanimitas directe opponitur magnanimitati, ut ibidem Angelicus *art.* 2. exponit.

X. *Deſperatio* ſcelus eſt quo quiſpiam de ultimi finis conſecutione deſperans, omne ſalutis ſtudium deponit. De gravitate huiuſce ſceleris egimus *Tom. I. Decal.*

XI. *Torpor* eſt animi ignavia, ſeu languor, quo quis præceptorum obſervantiam vel omittit, aut negligenter & oſcitanter implet. Periculoſiſſimus eſt torpor iſte, præſertim in illis qui negligunt media, tametſi graviter non obligantia, neceſſaria ad conſequendam proprii ſtatus perfectionem; qui perfunctorie præcepta ſervant, & ex quadam inſita ignavia vitam deſidem ducunt; contra quos ad Romanos XI. S. Paulus inquit: *Sollicitudine non pigri, ſpiritu ferventes, Domino ſervientes.* Vult enim Deus mandata ſua impigre impleri. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Languor iſte ſpiritus omnem devotionis humorem exſiccat, vires extenuat, quotidie zizania vitiorum ſpargit, mentis ſoporem & obſcuritatem inducit, & ita animam corrumpit, ut eam ineptam ad vera, & ſolida virtutis officia reddat. Graphice *ſer.* LXIII. *in Cant.* huiuſce inertiæ, & torporis labes S. Bernardus deſcribit. *Hoc frigus, ſi ſemel animam ...... pervaſerit, ac nemine deinde (quod abſit) inhibente ad interiora eius pervenerit, deſcenderit in viſcera cordis, & ſinum mentis, concuſſerit affectiones, occupaverit conſilii ſemitas, perturbaverit iudicii lumen, libertatem addixerit, mox, ut in corpore ſolet evenire febricitantibus, ſubdit quidem animæ rigor, & vigor leneſcit, languor fingitur virium, horror auſteritatis, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferveſcit novitius fervor, ingraveſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna caritas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, revocat conſuetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur ius, fas proſcribitur, delinquitur timor Domini, dantur poſtremo impudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione: ſaltus de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cælo in cœnum, de clauſtro in ſeculum, de paradiſo in infernum.*

XII. Habes hic depictam acediæ, & inertiæ imaginem tot non modo Chriſtianorum, verum etiam Religioſorum, qui ſemper agentes nihil operantur, ſemper huc, atque illuc curſitantes, numquam progrediuntur in via perfectionis. Omnia ſibi tædio ſunt, omnia faſtidiunt, & veluti palato corrupto ex febri, nullam ſeriam applicationem guſtant, ſed unam vix inceptam abrumpunt, aliamque reſumunt, & poſt hanc aliam, ut tempus, inquiunt, tranſigant, & fallant, ſemetipſos miſerrime fallunt. Nihil hac pigritia Dei ſervis infeſtius. *Per agrum pigri tranſivi, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerunt ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa:* Prov. XXI. Væ illis qui tempus, ſibi a Deo conceſſum ad operandum unicum ſalutis negotium, in ludis, in converſationibus vanis, in inanibus colloquiis, in curioſis ineptiſque ſtudiis,

diis, in ſæculi voluptatibus, & diverticulis inutiliter tranſigunt. Legatur S. Bernardum *ſer.* XXII. *de divers.* ubi fuſo ſermone graviſſima eiuſmodi vitæ pericula, & imminentem damnationem repræſentat, cuius verba brevitatis ſtudio omitto.

XIII. *Evagatio mentis* torporem in ſalutis negotio conſequitur, quæ eſt inquieti animi motus, quo homo propter tædium rerum ſpiritualium ad exteriora erumpit, ut inde delectationes captet vaniſſimas. Huiuſmodi ſunt homines curioſi, qui nihil aliud optant, niſi *aut dicere, aut audire aliquid novi*. Hos reprehendit Apoſtolus *II. Theſſal.* III. his verbis. *Si quis non vult operari, non manducet. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes. Iis autem qui ſunt eiuſmodi, denuntiamus, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.* Huc intendant animum Eccleſiaſtici præſertim & Religioſi, qui non operantes, ſed otioſi, gyrovagi, inquieti, deſides panem & patrimonia pauperum deglutiunt. Otium deſidioſum occaſio eſt non adeo remota peccati mortalis. *Multam malitiam docuit otioſitas*, inquit *Eccleſ.* XXXIII. & rurſus Prov. XII. *Qui ſectatur otium ſtultiſſimus eſt.* Hinc multiloquia, & vaniloquia, diſcordiæ, detractiones, rixæ, ſuſpiciones manant. Quare concludit Salomon Prov. XXV. *Sicut urbs patens, & abſque murorum ambitu: ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Et hæc de ſeptem vitiis capitalibus dicta ſufficiant.

# DISSERTATIO ULTIMA.

## *DE VIRTUTIBUS.*

### CAPUT I.

*Quid, & quotuplex ſit virtus.*

HActenus contra vitia evellenda & extirpanda pugnatum eſt: nunc de virtutibus inſtituendus ſermo eſt. Diminutum, & nimis imperfectum foret miniſterium noſtrum, ſi vitiis dumtaxat profligandis operam daret. Hæc utique primum omnium eradicanda e vinea; ſed ſerendæ continuo, excolendæque virtutes ſunt. Immo huc ſpectare ſtudia noſtra debent. Idcirco, cum ad terminum properet Theologiæ noſtræ curſus, & e propinquo metam ſpectet, nihil opportunius illuſtrandum occurrere poterat quam tractatus de virtutibus. Ad rem igitur.

II. Quæſt. I. *Quomodo virtus definiatur?* Reſp. Virtutis vocabulum varias excipit ſignificationes. Interdum fortitudinem prodit; ut *I. Machab.* I. legitur: *Abiit cum virtute forti.* Aliquando pro efficacitate virium naturalium uſurpatur; ut *Sap.* VII. legitur: *Ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum.* Interdum virtutis nomen adhibetur ad miraculorum gratiam manifeſtandam; ut *Matth.* VII. dicitur: *In nomine tuo virtutes multas fecimus.* His & aliis ſignificationibus miſſis.

III. Virtus ab aliis definitur *Ordo amoris.* S. Auguſtinus *Lib. V. de Civit. Dei cap.* XXII. inquit. *Definitio brevis & vera virtutis, ordo eſt amoris.* S. Thomas, quo nemo felicius Auguſtinianæ doctrinæ ſenſum aſſecutus eſt, 1. 2. *q.* LV. *art.* 4. hanc prodit definitionem: *Virtus eſt bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur.* Virtutibus aliquando male utuntur homines, cum de earum obiectis male ſentiunt, cum eaſdem contemnunt, cum in vitia labuntur. Verum numquam id provenit ex recta illa mentis, animique affectione, ſed ex contraria cupiditate. Quoniam virtutis opus eſt eiuſdem bonus uſus. Nemo autem bene utendo male vivit, inquit S. Auguſtinus *Lib. II. de lib. arbit. c.* XIX.

IV. Quæſt. II. *Quotuplex ſit virtus?* Reſp. Virtutes aliæ humanæ, ſeu ordinis naturalis, quia tendunt in obiecta quæ naturali comprehendi ratione valent, perficiuntque hominem intra rationis humanæ confinia. Aliæ ſunt ſupernaturales, & divinæ, quæ theologicæ nuncupantur, ſuntque *fides, ſpes, caritas.* De his tribus virtutibus ſuſe ſcripſi *Lib. I. in Decal.*

V. Virtutum humanarum aliæ mentem perficiunt, aliæ appetitum. *Intellectuales* illæ, *morales* iſtæ a Theologis nuncupantur. Priores appellantur *intelligentia, ſapientia, ſcientia, & ars,* quæ mentem in veritatis inveſtigatione, & contemplatione perficiunt. Minus proprie virtutes iſtæ appellantur, cum non



reddant hominem probum: ideoque nullus de eiſdem nobis ſermo erit. *Prudentia,* tametſi virtus intellectualis ſit, opus tamen & praxim ſpectat: & de hac mox ſermo erit.

VI. Quæſt. III. *Quid ſit virtus moralis?* Reſp. Deſcribitur, quod ſit habitus a Deo datus homini ad honeſtos mores, ſeu actiones, ſecundum legis divinæ præſcriptum, inclinans propter caritatem in Deum. Pravis habitibus impellitur homo ut placeat mundo, ut ſæculi oblectamenta ſectetur. Contra, virtutum habitus animum in Deum efferunt, quia vera virtus donum Dei eſt, & illi ſervit.

VII. Virtutes morales aliæ operationes exteriores dirigunt, ut iuſtitia, eiuſque partes; aliæ animi perturbationes, ſeu paſſiones moderantur, ut fortitudo, temperantia, & ceteræ quæ eiſdem adiunctæ ſunt.

VIII. Potiſſima virtutis moralis, cuius dedimus deſcriptionem, diviſio eſt in quatuor *virtutes cardinales,* quæ appellantur *prudentia, iuſtitia, temperantia, fortitudo.* Cardinales nuncupantur, quia ſunt veluti aliarum virtutum fontes, capita, cardines, & principia, unde omnis honeſtæ vitæ ratio proficiſcitur. De his *Sap. c.* VIII. dicitur: *Et ſi iuſtitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes: ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem; quibus nihil eſt utilius in vita hominibus.*

IX. Harum virtutum neceſſitatem ſapienter deſcribit S. Bernardus *tract. de converſ. ad Cler. cap.* X. his verbis. *Opus eſt fortitudine adverſus tentamenta peccati, ut rugienti leoni reſiſtamus fortes in fide, & ignita ipſius iacula hoc ipſo clypeo viriliter repellamus. Opus eſt iuſtitia, ut operemur bonum: opus prudentia, ne cum fatuis virginibus reprobemur: opus denique temperantia, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miſer ille, epularum pariter & veſtium ſplendore ſinito, dum miſericordiam precaretur, audivit: Memento fili, quod recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.* De his quatuor virtutibus lege S. Thomam 1. 2. *q.* LXI. ubi earumdem notiones perſpicue tradit. Mutuum fœdus habent virtutes iſtæ. Qui unam vere habet, ceteras poſſidet; non tamen æqualiter in ipſis iuſtis reperiuntur.



### CAPUT II.

*De prudentia, eiuſque partibus, officiis, & vitiis oppoſitis.*

I. PRudentia eſt *virtus quæ ſecundum honeſtatis rationem, divinæque legis præſcriptum, quod expetendum, quidve fugiendum homini ſit, proponit.* Non in voluntate, ut ceteræ virtutes morales, ſed in intellectu reſidet, ceu lumen, & index, qui dirigit, ordinat, decernit quid ceteræ virtutes proſequi, quid declinare debeant. Ideo virtus hæc intellectualis vocatur, quia eſt veluti aliarum virtutum doctrix & magiſtra. De hac virtute fuſum ſermonem habet S. Th. 2. 2. *q.* XLVII. ſexdecim articulis comprehenſum, ubi omnia quæ de prudentia deſiderari poſſunt, ſigillatim exponit.

II. Prudentia alia *politica,* quæ in bonum Reipublicæ, alia *œconomica,* quæ in bonum privatum tendit. Officia prudentiæ ſunt, 1. rectum conſilium agendorum formare, perhibere, inquirere, accipere. 2. De rebus practicis agendis recte iudicare, ſecundum aut communes regulas, aut ſecundum altiora principia, ſi communes regulæ in tali caſu deficiant. 3. Recte præcipere executionem. Hæc ſunt officia, ſeu actus proprii prudentiæ, conſulere, iudicare, præcipere.

III. Partes integrantes, & ex quibus coaleſcit prudentia, ſunt *memoria, intelligentia, providentia, ſolertia, docilitas, ratio, circumſpectio, cautio, ſollicitudo.*

IV. *Memoria* hic non accipitur pro facultate naturali addiſcendi res novas, ſed *pro ſtudioſa recordatione eventuum præteritorum.* Prudentia magna ex parte experientia præteritorum eventuum nititur. Meditatur præſentem deliberationem iuxta ſucceſſum quem negotia in ſimilibus circumſtantiis habuerunt; & pro circumſtantiarum identitate, aut diverſitate colligit, quid hic & nunc reſolvendum ſit. Sæpe tamen occurrit, ut negotia quæ ad exactas prudentiæ regulas deliberata fuere, male cedant, ex earum cauſarum defectu quæ non ſunt in noſtra poteſtate, aut ex ignorantia alicuius occultæ circumſtantiæ, quæ humanæ mentis aciem fugit, & ſuperat. Quare licet negotia prudenter deliberata plerumque fauſtum ſortiantur eventum; non ideo tamen ſemper ex eventu contrario, & infauſto inferri iure poteſt, im-